



**Theophili Banosii censura orthodoxa in excommunicationem
Sixti V PP. contra Henricum Borbonium, nunc Galliae &
Nuarrae regem Christianissimum: : Jnnouata et aucta
prooemio, quo subducuntur argumenta eorum, qui contra
praedictum Regem arma sumpserunt.**

<https://hdl.handle.net/1874/431503>

8 THEOPHILI BANOSII
GENS VRA OR-
THODOXA IN EX COM-
MUNICATIONEM SIXTI V. PP.
contra Henricum Borbonium , nunc
Gallia& Nauarræ Regem Chri-
stianissimum:


JNNOVATA ET AVCTA
PRO O& M I O, QVO SVBDVCVN-
tur argumenta eorum, qui contra prædi-
ctum Regemarma sumpse-
runt.



FRANCO FVRTI
Apud Ioannem Wechelum,
Anno cIc. Ic. xcii.

Я О А Д А С Р
М О С Ж Е И Т Ю Г Е Т
А И С Т У М И С Т О Р И Й
С О В С Т В О Н И Й
Г Р А Ф И К О В С Т В О Н И Й

А Т Е М И Т Е А Т Е М О И Й
А Н Д Е Р Е Й О В С Т В О Н И Й
А Н Д Е Р Е Й О В С Т В О Н И Й
А Н Д Е Р Е Й О В С Т В О Н И Й



И А Н Г О В А Т
А Н Д Е Р Е Й О В С Т В О Н И Й
А Н Д Е Р Е Й О В С Т В О Н И Й



PROOEMIUM, QVO
S V B D V C V N T V R A R G V -
M E N T A E O R V M , Q V I C O N T R A
H E N R I C V M I V . G A L L I A E T N A -
uarræ Regem Christianissimum,arma
fumpserunt.

X P O S V I libro superiori rationes, qui-
bus adductus innouauit Censuram Ortho-
doxam, ante sex annos a me editam, in Ex-
communicationem Sixti V. cui ut adde-
rem hoc proœmium, impulerunt Grego-
rii X I V . literæ Monitoriales, quibus afferit Regem Na-
uarrænum, vi prædictæ Excommunicationis, successione Re-
gni Galliæ abdicatum esse, ac proceres, nobiles, & omnes Ec-
clesiasticos subditosq; adhortatur sub pœna interdicti, ut eū
deserant, & armis aggrediantur. Etenim nouum non est,
successores Iulii I I . cum inutiles sunt claves Petri, gladium
exercere, & per fas & nefas regna transferre. Joannes
Nauarrænus huius proauus, quod Ludouici X I I . partes
tueretur, à Papa Julio proscriptus fuit, & regno ab Hispano
spoliatus: sic hodie coniurati prætextu Sixtinianæ proscrip-
tionis regnum Galliæ ad Henricum IV . hæredem legitimi-
mum pertinens, auro & exercitu Hispanico inuadunt. De
facto constat; sed an iure id fiat, breuiter dicam.

T H . B A N O S I I

Excommunicatum aiunt Henricum Borbonium, quod
hæreticus, fautor hæreticorum, & Ecclesia Romanæ
hostis sit acerrimus; & inde concludunt, omni præfectura,
successione & dignitate cecidisse.

I. i. & s. §. i.
Codic. de
summa tri-
nitate & fi-
de Cath.

At hi in iure hæretici
desiniuntur, qui contra Apostolicam disciplinam & Eu-
angelicam doctrinam, Patris, Filii, & Spiritus sancti unam
deitatem sub pari Maiestate & pia Trinitate non credunt;

qui que infideles & alieni, sanctæ Dei Catholicæ, atque Ap-
ostolicæ Ecclesiæ contradicere Judaice aut apostatice au-

dent.

His addendum est Tertulliani testimonium, qui eos

vocat hæreticos, qui pertinaci spiritu & opinione singulari

dogma aliquod tuerentur. Verum confessio fidei, edita ab

Henrico IV. Galliæ & Nauarræ Rege, testatur illum cre-
dere in sacram Scripturam veteri nouoque testamento com-

prehensam; item symbolum fidei ab Ecclesia Catholica in-
stitutum amplecti, doctrinam hæreticorum in quatuor pri-

mis Conciliis œcumenicis damnatam, detestari, disciplinam

ab Apostolis & Ecclesia primitiva usurpatam non reiucere:

deniq; postulare ab iis, qui crimen hæresis ei obiiciunt, ut de

ea ex Dei verbo testimonia proferant in concilio legitimo,

cui se subiicit. Ex quibus nemo sanæ mentis iudicabit, cum

hæreticum dici, vel damnari posse, nisi prius de hæresi, &

eius assertione pertinaci in concilio legitimo conuincatur.

Deinde compertum est omnibus, non paucos extitisse proce-
res in Europa Christianos, qui antequam Rex Nauarræ in

rerum natura esset, reformationem Religionis amplexi sunt,

& de ea Pontificem Romanum reum peregerunt: integra
regna ab eo defecerunt, & omnes idololatriam & tyranni-

dem

P R O M I V M.

dem quam in Ecclesia & Republica exercet, abominantur.
Non ergo schismatis auctor est Nauarrænus, qui Religionem quam profitetur, haust cum lacte nutricis, & in ea altus educatusq; est: illud potius adscribendum Episcopis Romanis, quibus religio semper fuit, controversias de Religione, proditione & cruentissimo bello, non verbo Dei, & charitate disceptare. Præpostere nimium, & insipienter. Omnia, ait ille, prius experiri quam armis sapientem decet. Bellum enim nunquam mouendum, quamdiu paci locus aliquis conceditur; omnisq; pax bello ciuili cum ciuibus utilior est.
Quæ in Ecclesia Dei in primis obseruanda sunt; in qua mansuetudine, more primorum Christianorum, non feritate agendum est. Quod si benigno colloquio definiri non possunt controversiae & vniuersales reddantur, earum decisio ad Concilium generale referenda est; interea pax utrinque collenda. Id agnouit Nicolaus primus, qui in epistola ad Michaelem imperatorem prudenter distinguit inter res Ecclesiasticas, quæ in synodis pertractantur inter rectores Ecclesiarum, & eas quæ ad fidem pertinent. Quæ, inquit, vniuersalis est, & omnium communis, ac non solum ad Ecclesiasticos, sed ad omnes omnino, & præsertim Reges pertinet Christianos. Quam ob rem cum ab annis plus quam septuaginta disceptetur vniuersaliter de præcipuis fideli & disciplinae ad salutem necessariæ articulis inter Papam, & Religionis reformatæ studiosos, eosq; Reges, Principes, politarchas, virosque pietate & doctrina præstantes; Concilio generali, libero & sancto opus fuit, in quo caput & membra ex canone verbi Dei reformarentur. Nam quod

T H. B A N O S I T

ad Concilium Tridentinum attinet, in eo audit i no fuerunt,
 qui à Papa heretici dicuntur, & de causa contouersia a-
 etum & iudicatum fuit ab illis qui Rei, non iudices, ciran-
 tur. Neq; valde laborandum nobis est in confutatione hu-
 ius Concilii, quod Carolus IX. Galliae Rex, reuocatis lega-
 tis, exceptionib. validissimis, ut iniustum ac nullum labefac-
 etauit, supremaq; Curia Parisiensis palam repudiauit. Te-
 meraria igitur & iniqua fuit Sixti Excommunicatio, qui
 durante lite, & schismate uniuersali indies crescente, fulmi-
 natus sit in principem singularem, cuius causa infinitis est
 communis. Etenim posito, & tamen non concessso, Sextum
 iudicem fuisse competentem contouersia, que de Religione
 agitur; attamen vana & irrita fuit sententia excommu-
 nicationis, quam contra Catholicam doctrinam temere pro-
 tulit. Primum testem huius rei profero D. Augustinum ad-
 lib. 3. cap. 2. uersus Donatistas, & contra epist. Parmen. Quando, in-
 quit, populus communis morbo laborat, ab Excommu-
 nicatione supersedendum est; & cum aliquis ex fratrib.
 in Ecclesia constitutus in aliquo peccato fuerit repre-
 hensus, ut Anathemate dignus habeatur; fiat hoc ubi
 periculum schismatis nullū est. Hanc D. Augustini sen-
 tentiam refert c. cum quisq; 23. quest. 3. Nam cum excommu-
 nicatio instituta sit praecipue in hunc finem, ut per eam pec-
 cator emendetur; si is per excommunicationem induretur &
 defensores nanciscatur per quos schisma contingere possit,
 pessime peccatoris & Ecclesie saluti consulitur, si per Ex-
 communicationem procedatur. Idem affirmant, Iason &
 Ioannes Lupi Doctores iuris celeberrimi, & disertis verbis
 docens

I. quod ius-
 sit D. de re
 iudica. in c.
 per vestras
 §. 18.

P R O C E M I V M.

docent, Excommunicationem in eum non esse ferendam quem suspicamur minime propter eam cessaturum à contumacia: idque Catholica resipiscientia. Deniq; Thomas in 4. dist. 18. articulo ultimo, sub quæst. 2. afferit: Quod si excommunicatio videatur inutilis futura ei quem excommunicare tentamus, supersedendum omnino esse à tali censura: tuncq; blandis admonitionibus eliciendum esse peccatorem ad pænitentiam; non modis asperis irritādum, ut asperior reddatur. Itaque ex supradictis Catholicorum doctorum testimoniosis constat, Sixti excommunicationem in Regem Nauarrænum, quem Relapsum & hæreticum deploratissimum nominant coniurati, Catholicam non fuisse, nec orthodoxam.

Cæterum refutationem non meretur quod obtendunt, Henricum Borbonium (sic enim Regem suum nominant) fautorem esse hæreticorum, & Ecclesiæ Romanae hostem acerrimum. Etenim PP. à multis seculis eos omnes hæreticos esse dixit, qui sibi non obtemperarunt, vel qui Hierarchiæ tyrannidem, & Ecclesiæ Romanae deformationem sunt detestati. Anno 713. Philippicus Imperator hæreticus dictus fuit, quod ex mādato Dei idōla ē templis sustulisset. Leo III. Imperator paucis post annis eadem de causa hæreticus & Iconomachus vocatus. Henricus IV. Imperator, quod inuestituram Episcopatum Germaniæ Papæ indulgere recusaret, hæresis nota inustus fuit. Fridericus II. quod PP. equum ascendentis strepam à latere insueto tenuisset, & tyrannidi Romanae restitisset, hæreticus fuit proclamatus. A Bonifacio VIII. Philippus IV. Rex Galliæ ut hæreticus damnatus, quod ad bellum transmarinum

T H . B A N O S I I

non proficeretur. Carolus VI. eiusdem regni princeps, heresis crimine notatus fuit, quod Martino V. PP. tributum Ecclesiae Gallicis imperanti denegauerit. Ludovicus XII. pater populi à Gallis cognominatus, ab Italiis hereticus dictus fuit, quod Julio II. bellatori cedere noluerit. Henricus III. qui ad extremum usque spiritum in fide Romana perseverauit, nihilominus hereticus, heretico-rum dux, Ecclesiæ Romanæ hostis à coniuratis dicitur, quod Religioni pacem, Republicæ securitatem, sublatis perturbatoribus, tandem statuere conaretur.

At hostis Ecclesiæ est, quem bellum, quem discordia, quem cædes ciuium, quem proscriptiones delectant. Ecquis vero in Gallia bellum ciuale excitauit? quis publicas leges fregit? quis vastitatem urbibus, depopulationem agris ab annis triginta intulit? Paucis dicam, & exordiar ab illis quibus interfui, vel à fide dignis accepi, qui rebus gestis interfuerunt. Post obitum Francisci II. conuenerunt Comitia regni generalia apud S. Germanum, à quibus solemne Edictum, quod vulgo Ianus sibi dicitur, constitutum fuit, quo utriusq; Religionis Catholicæ Romanæ, & prætensiæ Reformatæ exercitium liberum & securum decernebatur. Id senatus consulto omnium supremarum Regni Curiarum comprobatum, & ubique executioni demandatum: sicque lux salutaris Ecclesiam, & tranquillitas monarchiam Gallie illustrare incœpit. Sed eam ferre non potuerunt Alastores Triumviri, qui ab iisdem Comitiis, ad Pontosiam habitis, repetundarum rei indicati fuerant. Hi ut φιλαρχία suam tuerentur, & de rationibus reddendis iudicium eluderent,

Rempu-

P R O C E M I V M

Rempublicam prætextu Religionis perturbare constituerunt. Primus igitur inter illos seditionem exorsus est à strage Vasiacena, in qua non mediocrem numerum piorum, verbi Dei audiendi causa congregatorum, nullo sexus, atatis, conditionis ve discriminé habito, per insidias adortus, internecioni dedit: deinde Carolum IX. tunc puerum, Fontebellaqueo inuitum, & lachrimis dolorem suum testantem, Melunum usque deduxit. Alter Parisius conuentus piorum, qui in suburbis frequentissimi celebrabantur, seditione populari, gladio, igne, perturbauit, cæcidiit, combusso. Hinc subsequutum bellum ciuale cruentissimum, & prælium ad Druidas commissum, in quo Mommorancius captus, Santandrenus Mareschallus interfectus, & paulo post Guisius in obsidione Aurelianensi occisus est. Sublati igitur, vel captiis belli auctoribus, pax Ecclesiæ, & regno tranquillitas restituta est; cuius beneficio nobilitas, diuersis studiis depositis, māsuetudine coalescet; plebs post grauiissimas calamitates militari insolentia exonerata, sudore partis fruebatur, offensiones belli utrinque deponebantur, iustitia pristinum decus re-collegebat; Pictas & Religio, quæ belli tempore incultæ iaceuerant, colebantur. Accidit vero ut in sanctiori Regis concilio, ex procerum nonnullorum placito decretum fuerit Iustrum regni uniuersale, quod Rex comitatus regina matre, & primariis consiliariis, obiret; in hunc finem, ut subditi Regis sui facie recrearentur, & eiusdem præsentia in pace continerentur. Verum cum Aquas augustas aula regia peruenisset, in finibus Hispaniæ sitas, Philippus Rex missis legatis, defædere sacro cum Regina matre & aliis proceri-

★★

TH. B A N O S I I

bas transegit, cuius hoc fuit caput præcipuum, nullum concedere locum Religioni quam vocant Nouæ, nec in Belgio nec Gallia. Itaq; Dux Albanus in Belgium delegatur, ut ferro & igne hæreticos à Papa iudicatos, & eorum fautores perdat: eodē tempore conscribuntur copiæ militares in multis Galliæ locis, in quam etiā penetrarunt Heluetiorū milia quatuor, clam à confœderatis conducta. Vocantur in aulam princeps Condæus, & alii proceres purioris Religionis studiosi: Illi ab amicis præmoniti sibi cauent, & statuunt libellum supplicem offerre Regi, ut iuberet Heluetios & Gallos milites domum se recipere; Galliam in pace viuentem, & à nullo hoste infestatam, illis perturbari. Itaq; Cōdæus, Admiralius, & alii præcipuæ nobilitatis viri, cum trecentis equitib. Meldas cogitat: in qua ciuitate, statuerant regē opperiri ex Picardia Lutetiam redeuntem. Rex certior factus de illorum aduētu, qui iam Meldas peruererat, per Mareschallum Mommorancium præmonet Condæum, ut se cum suis Lutetiae sistat. Is nihilominus suscepsum iter Meldense persequitur, & incidit in Heluetios militari modo incedentes, in quorum medio Rex cum equitatu Gallorum armatorum valido, Lutetiam versus admodum festinanter progrediebatur. Condæus petit sibi dari veniam salutandi Regem; sed hastis & tormentis Heluetiorum pulsus, Sandenium se recepit: hincq; exortum aliud bellum, quod à mense Augusti anno 66. usque ad mensem Martium subsequentem, continuis datis & acceptis cladibus, miseram Galliam exhausit. Sed cum coniurati Condæum, Germanici exercitus viribus auclum, inexpugnabilem animaduertissent, insidioso pacis tractatus tollere.

P R O C E M I V M .

tollerere è medio satius esse duxerunt Euangelicos , quam bello periculoso cum illis decertare . Tertium igitur Edictum pacificationis prope Autricum oppidum , quod Condæus granu ob sidione premebat , utrinque solemnī iuramento adhibito , concluditur . Princeps Condæus , Admiralius & alii , dimissis copiis domesticis & Germanicis , domū se receperunt ; quæ vix ad Rhenum peruererant , cum à coniuratis collocantur firma præsidia in transitu fluviorum , prædictosque proceres in arcibus suis , cum domesticis tantum agentes intercipere conantur . Flli , uxoribus & liberis magna festinatione ex arcibus eductis , vado periculosisimo Ligerim flumen virgula diuina traiecerunt , & incolumes , sicut aues creptæ è laqueo venantium , Rupellam peruererunt . Tertium igitur bellum recruduit , prioribus ut magis diuturnum , sic cladibus funestissimum . Redeunt ad ingenium coniurati , & de pace tractant , quam maiori , quam antea solennitate , jurarunt omnes . Rex Admiraliū in aulam vocat , qui et si periculum sibi imminēs probe intelligeret , tamen Deo & conscientiæ testimonio confusus , sifit se cum paucis amicis . Excipitur à Rege & coniuratis omnibus regiè , & aulicè . Sed eum ille aulicis honoribus parum fidei adhiberet , & more icti pescatoris saperet , venumq; discedendi peteret , obtinuit quidem , sed hac lege , ut vocatus iterum sesisteret . Antequam discederet , Rex & Regina mater , semotis arbitris , agunt cum eo de matrimonio inter Margaretam Regis sororem , & Henricum adolescentem , Joannæ Nauarræna filium : matrem sapientius fuisse interpellatam de hoc negotio , sed moras nectere parum gratas :

matrimonium hoc Regem in primis ambire, ut sit vinculum
pacis publicæ: in eo promouendo Admiralium multum posse:
eius fidem & benevolentiam implorare. Ille respondet, se
Regi ministerum fore fidelissimum, si quid posset; sed Regi-
nam Nauarræ sœpe dixisse, se non posse tam cito cogitare de
nuptiis filii, qui annum vix attigisset 18. Cum igitur hæc
fallacia ad decipiendum Admiralium coniuratis idonea sola
non videretur, altam produxerunt, quam ex eius ore fabri-
carunt. Dixerat sœpe in Concilio sanctiori, Regem Hispa-
niæ per suos emissarios pacem Galliæ interturbare; & certis
documentis id verum esse probauerat. Rex igitur à coniu-
ratis probe instructus ad fallendum, clam Admiralium ad
se vocat, grauiterque conqueritur de Guisiorum gente, quæ
Concilii sanctioris sententias Hispaniæ Regis legato commu-
nicaret, quoque inhiare Diademati Galliæ ex multis actio-
nibus reprehenderit. Cupere se cum Ludouico Nassouio
Auranii Principis fratre, agere de mediis, quibus ab Hi-
spano repeti possint Comitatus Flandriæ & alia, quæ iure ad
regnum Galliæ pertinent: denique iubet ut quamprimum
fieri possit, Ludouicus clam, mutato nomine & ueste, in au-
lam veniat. Venit is hortatu Admiralii, & cum Carolo a-
git, qui statim ei pecuniam subministrat, & edicit Admira-
lio ut tanquam legatus copias equestres & pedestres conscri-
bat, quas mitrat in Belgium. Ut vero omnem amoueret su-
spicionem, diploma, (literas patentes Galli vocant) Ad-
miralio dat, quibus exponebantur causæ propter quas Hi-
spano bellum inferret, eaque omnia media ei administrari à
questoribus iubet, quæ ad bellum gerendum sunt idonea Re-
clamat

P R O C E M I V M.

clamat Reginam mater ac Lotharingi, & in primis legatus Hispania, grauesq; querimonia mouet, quod Regi & domino suo, affini & amico, bellum absq; fetiali denunciaretur. Interim Regina Nauarræ Lutetia venit, ut ea pararet quæ ad filii nuptias celebradas necessaria erant; sed paulo post veneno, ut constans est fama, sublata fuit è medio. Quidquid sit, Carolus urget ut promissum matrimonium perficiatur, & Henricum adolescentem morte matris Regem Nauarræ, ad se vocat. Venit is Condæo, Admiratio & præcipua nobilitatis viris, comitatus, & celebrantur nuptiae. Quid 24 Augusti 1572. à coniuratis contra fidem datum perpetratum sit, notum est omnib. quo die, inaudito scelere & immani facinore, omnium barbarorum crudelitas & perfidia victa & superata est. Euasit singulari Dei prouidentia ex illa carnificina Rex Nauarrenus, & paucis post annis liberatus aulâ, in ditiones suas se recepit, nec se immiscuit bello, quod dux Alenconius boni (ut ipse præferebat) publici causa mouit in Guisios, bellorum ciuilium auctores. Pacato bello Alenconico, renouatum est fœdus inter coniuratos execrabile; in quo conceptis verbis deuouent se æternæ maledictioni, & ignominiae perpetuae, nisi hereticos omnes citra ullam exceptionem, acceptiōnemq; personarū, nullo habito respectu cognitionis, affinitatis, proximitatis, consanguinitatis, fraternitatis, ad exterminationē usque persequantur. Adhæc uniuersæ regiæ stirpi interitum decernunt. Extant in huius rei fidem tabulæ aduocati Davidis, quas coniurati ad hunc usque diē non infirmarunt. Ex hac ergo scaturigine manauit bellū ciuile, anno 77. quod institutum fuit in caput Nauarreni & sociorū, qui illud tanta

TH. B A N O S T I

animi magnitudine propugnarunt, & summa iustitia admissi
nistrarunt in locis bello durante occupatis, ut ipsi Catholici
fas si sint, se templis, cōiugibus, liberis, tectis, bonis, pari liber-
tate sub Nauarræno usos belli, qua pacis tempore vtebātur.
Vbi vero concessa fuit pax, & quidē illa non sine multis præ-
scriptionibus, ratione habita prioris Edicti, statim Rex Na-
uarræno arma depositus, ne afflictus populus, belli protractio-
ne, grauiori calamitate afficeretur, multoq; antiquius ei fuit
coniuratorum insidiis caput exponere, quam cum populi da-
mno bellum ducere. Insigne vero documentum editum est à
coniuratis, quo docuerunt, satis animi sui sensum & scopum.
Nam curarunt typis mādari librum Genealogia sua, quam
repetūt à Carolo Lotharingo, proximiore hærede stirpis Ca-
roli Magni, cui à Capeto regnum per vim & iniuriam ad-
emptum esse affirmat. Hac libri editione Henricus III. gra-
uiter fuit in illos cōmotus, persensitq; post mortem Alenconii
fratris, quæ accidit M D LXXXIV. Guisios non religio-
nem, sed regionē affectare. Itaq; ab eo tempore benignior fuit
erga Nauarrænum affinem, & hæredem proximiorē. Quæ
res cōiuratos male habuit, qui aperto tunc Marte Catalau-
num, Rhemos, Tullum, Andegauum, Nannetes, Diunionem,
Mafilium, & multas alias regni ciuitates vi, & insidiis ca-
piunt: Rex Henricus exercitum in eos parat potentissimum,
cumq; res ad præliū prope Lutetiam spectare videretur, con-
iurati reconciliantur, Reginæ matris intercessione, & tota
belli moles in Nauarrænum & socios retoquetur, in quo edi-
ta sunt à coniuratis immanitatis & scelerum exempla infinita.
Non dilatabo orationem meam. Et enim posset esse infini-
ta, si ea

P R O C E M I V M.

ta, si ea quæ ab anno 85. ad hunc usque diem perpetratæ sunt, commemorarem: satis sit memoriam refricare parricidii commissi in persona Henrici III. quem coniurati manu monachi hypocrita interfici curarunt. Quamobrem ex iis quæ dicta sunt, quilibet indicare potest, an Nauarrænus, an coniurati, Ecclesiæ & Reipublicæ hostes sint habendi.

Excipiunt adhuc, & bellum contra Nauarrænum afferrunt religiosum, necessarium & salutare. Religiosum definiunt, quo Ecclesia Romana propagatur, & hæreticorū impugnatur. Possem contra multa regerere, sed λόγια χάρα, non amo: quæstionem persequar, & supradictæ definitioni oppono Lactantii testimonium, qui libro Institutionum confutat eos qui Religionem armis promoueri vel destrui posse existimant: Quia (inquit) vi nihil quidquam obtinent, quod Dei Religio eo augetur quo premitur, potius agant oratione & exhortatione. Episcopi & Presbyteri religionum suarū ad conciones & disputationes suas nos vocent, exhortenturq; &c. Postea subiungit: Vim adhibere non est opus. Religio n. cogi non potest, verbis agendū potius quam verberibus, ut ei voluntas adhæreat: Religio tuenda est nō occidendo, sed mortem patiēdo; non crudelitate, sed patientia, nō scelere, sed fide. Quid, quæso, dici potuit ad quæstionem dissoluēdam aptius, vel ad coniuratorum facinus damnandum accommodatius: qui cum fusibus & armis cultus idololatricos tuentur; & gladio, non Dei verbo, controversias de Religione disceptant. At nō ita Ecclesia primitua. Etenim illa præconio verbi Dei per orbē uniuersum constituta, fide, constantia, virtute, & patientia

Lactantius
lib. 5. c. 20.

TH. BANOSII

hostes vicit, errorem impiorum utilem sibi fecit, ut eos emēdaret; gentib. usq; est ad opus Domini perficiendum, haereticis ad syncretam doctrinā probandum, schismaticis ad statum suum stabiliendum, quosdā alliciendo, recolligendo, reuocando, instituendo, reformando, contumaces excludendo, non manu armata, sed veritate & iustitia. Quid Apostoli, quib. pugnarunt armis, aut pugnandum esse docuerunt? Assumere galeam salutis, gladium spiritus, quod est verbum Dei, exercere, induere loricae iustitiae, scutum fidei capere, in quo omnium tela hostium extinguantur, charitate gaudio, pace, patientia, cum hostibus agere & decertare, panoplia est veri Christiani: contra Eithnici, idola colere, veneficiis, bellis, seditionibus, & similibus pugnare, armatura perfecta est. Equidē posteritas detestabitur Gregorii XIV. immane facinus, qui equitatum & peditatum numerosum misit in Galliam, contra Regem, sub auspiciis consanguinei: protestatusq; est, si per valetudinem licuisset, se ad bellum profecturum. Monstrum certe pontificis, & legibus canonicis abominabile! Si quis, ait c. 3. dist. 37. vult pontifex non tam vocabulo esse quā merito, imitetur Moysem, imitetur Aaron. Quid n. dicitur de eis? quod nō discedunt ē tabernaculis Domini. Quod aut̄ eius opus erat? vt aut̄ à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hęc sunt duo pontificis opera, vt aut̄ à Deo discat, legēdo scripturas diuinās, & səpius meditando, aut populum doceat, sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, & humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. Est & aliud opus quod facit Moyses; ad bella nō vadit, non pugnat

Canonica
descriptio
veri ponti-
ficiis.

gnat contra inimicos, sed orat cōtra hostes inuisibiles,
 qui sunt dæmones impugnantes eos, qui volunt pie vi-
 uere in Christo. Hæc canonica descriptio veri Episcopi
 Hieronymi est, ex qua discant coniurati quid de Gregorio
 XIV. & similibus PP. sit iudicandum. Enimvero si serio pu-
 tant Henricum IV. Galliæ regem hæreticum esse, cur nō do-
 cent hæresim ex verbo Dei? At quomodo docerent quod nū-
 quam didicerunt? Et qua ratione addiscerent, cum non in ta-
 bernaculo Domini, sed palatio idōli perpetuo versentur?
 Quale vero est PP. opus? scripturas legere, meditari, orare
 inde sinenter pro populo? Minime gentium. Simoniam exer-
 cere sacrorum, res ciuiles & polemicas assidue tractare, vo-
 luptatibus indulgere, bella ciuilia exercere: hoc opus, hic labor
 est pontificis. Et in quos? nō Amalechitas, vel Turcas, Chri-
 stianam Ecclesiam infestantes, sed Christianos pios, & pie vi-
 uentes. Evidem si ij qui Euangelici in Gallia dicuntur, Ca-
 tholicos Romanos bello peterent, bello defensu iure repelle-
 rentur. Sed ab Henrico Navarræno experientia docuit ni-
 hil tale esse metuendum; nouissimè vero declaratus Rex Gal-
 liæ, solemini iuramento stipulatus est, se nihil in religione Ca-
 tholica Apostolica Romana immutaturum, nisi ex Concilii
 legitimi, vel ordinu Galliæ iudicio. Metus igitur coniurato-
 rum Panicus est, & manet à fidei incertitudine. Cur sanctum
 illum confessum, ad quem Rex & sui omnes se referunt, repu-
 diant? Si Ecclesiæ Romanae Deum auctorem esse serio credunt,
 cur non eiusdem protectorem? si protectorem, cur non cum
 Abraham dicunt, Dominus prouidebit. At, ut ait ille:

Parcus Deorum cultor & infre quens
 Infariantis dum sapienti.e

* * *

T H. V B A N O S I I

Consultus erro. Nunc retrosum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor reliatos.

*A*thei certe est semper metuere, & hominis inconstantis suspicitionem metus frustra inferre. Venio ad secundam exceptionem, qua dicunt bellum sacrum, bellum esse necessarium. Necessarium certe esset, si esset defensuum: sed hoc non esse constat; sequitur illud non esse. Imo, inquiunt, necessarium est ex eo, quod incompatible sit diuersae Religionis exercitium in una & eadem monarchia, quæ mutatione semper experitur in rebus politicis, cum Ecclesiasticae mutatur. Respondeo, non agi inter Christianos de mutatione, sed de reformatione Religionis. Omnes enim fatemur, unum Deum, & quem misit Iesum Christum, Symbolum fidei uno consensu omnes amplectimur, nemoq; est, qui Mahometis, Iudæorum, aut Ethnicorum blasphemiam & superstitionem non detestetur. Agitur ergo de toleranda religione, donec communi consensu reformatio fiat. Augusti Imperatoris ætate, ut Dion narrat, de hac quæstione disceptatum fuit inter Agrippā & Mæcenatē: hic nullum cōcedebat locum in imperio iis, qui diuersam à recepto cultu religionem secularentur, quod sapienter acciderit homines sceleratos, prætextu Religionis, res nouas & periculosas moliri; ille cōtra differebat, nimia crudelitate eos peccare, qui homines impediunt Deo inseruire, contra leges politicas non offendentes. Ego, salvo meliori iudicio, unitatem in Religione, vinculum humanæ societatis arctissimum esse iudico, nihilq; amabilius aut optabilius contingere posse, quam idem in religione sentire: hancq; concordiam quærendam & recuperandam, cum est amissa, modis à Deo præscriptis. Verum

P R O C E M I V M T

rum opinio quæ in vulgus sparsa est; tolerabile nō esse in eodē
 statu diuersæ Religionis exercitium, ratione, exemplo, & re
 indicata refellitur. Placet in primis constitutio Arcadii &
 Honorii Imperatoris: Christianis, inquit, qui vere sunt,
 vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut Iudæis &
 Paganis quiete degentib. nihilq; tentantibus turbulentū,
 legibusq; contrariū, non audeant manus inferre, re-
 ligionis auctoritate abusi. Nā si cōtra SECVROS fuerint
 violenti, vel eorum bona diripuerint, non ea solum quę
 abstulerunt, sed cōuicti in duplum, quę rapuerint, resti-
 tuere cōpellentur. Hæc cōstitutio, Agrippæ & Mæcenatis
 sententias inter se pugnantes, re ipsa conciliat. Vt n. Iudæis,
 & Ethnicis leges violentib. politicas, nullā in imperio secu-
 ritatem pollicetur; sic quiete degentib. securitatem cōstituit.
 Enim uero siea quæ de hac quæstione obseruata sunt in præci-
 puis imperiis, obiter recordari libeat, olim reges Babylonie
 tentarunt armis eradicare Religionem, quam Deus in populo
 Israelito plantauerat, quod ea Chaldaeorum institutis con-
 traria esset: sed dū illi Iudæos captiuos usū religionis spoliant,
 Persarum duces Regnū Babylonicū inuadunt, & ad se trans-
 ferunt; sicq; illi qui cælum oppugnabant, terra spoliantur. At
 Persarum reges Religionis exercitiū non modo Iudæis indul-
 serunt, sed edicto sanxerunt ut templum Hierosolymitanum
 cum tota nomothesia instauraretur. Idem præsiterunt Ptole-
 mæus Philadelphus, & Nicænor Græcorum duces, non quod
 religiōne Iudæorum amarent, sed quod religio illis esset, vim
 consciētiis inferre aut dominari. Pompeius, ut ait Tertullia-
 nus, vietiis Iudæis & captis Hierosolymis, ex templo nihil atti-

1.6. Cod. de
pa ga. & sa-
cri f.

Tertull. in
Apologet.

T H. B A N O S I I

Cicero in
oratione
pro L. Flac-
co.

git, aut religionē immutauit. Qua de re dignum est Oratoris testimonium : Sua, inquit, cuiq; ciuitati religio est, nostra nobis. Stantib. Hierosolymis, pacatisq; Iudeis, tamen i-

storum religio sacrorū à splendore huius imperii, graui-

tate nominis nostri, maiorū institutis abhorrebat, &c.

*At nihilominus Iudeis seruata est sua Religio, & Senatus co-
sulto postea sancta regnante Augusto Cæsare. In imperio Tur-
carum, Christianis libera Religionis professio conceditur, nō
quod Christum amet, sed quia instinctu quodā sentiunt; Fide
Religionis persuadendā esse, non cogendam. Ut n. ad Christi
professionē cogi nollent: sic ad Mahometis cultum Christia-
nos cogere iniquum esse existimāt. Etenim notabile est, quod
legitur de Alexandro Seuero Imperatore, Christianae Reli-
gionis hoste: accusati apud eum sunt Christiani de vi publica,
quod popinam inuasissent, in qua Christianae religionis mini-
sterium exercebant. Præstat, respondit Alexander, Deū in
illo loco adorare, quacumq; ratione id fiat, quā crapule
& ebrietati operā dare. Locum igitur occupatum concessit
Christianis ad Religionis publicæ exercitium. Quid ad hæc
dicturi sunt coniurati? Ethnici Religionem Iudaicā & Chri-
stianā sacrificiis suis omnino repugnantē tolerarūt; Christia-
ni Christianos in quibusdā articulis inter se dissidentes, in re-
gno non ferent: imo tolerarunt, & adhuc fertunt, summo cum
Ecclesiæ Christianæ Reipublicæq; bono. Carolus V. Impera-
tor, Pōtificis Romani impulsu, Protestantib. Germanie gra-
uiissimum bellum intulit, multos affixit, & Religionē ad tem-
pus perturbauit: Sed cum animaduertisset armis expugnari
non posse, pio & prudenti consilio libertate Religionis edicto
sanciuit, cuius beneficio imperio dignitas, Ecclesiæ trāquilli-*

etas restituta est. Comitia regni Galliae, ut dixi, religionis libertatem eandem constituerunt, multis de causis. Nam ut in morbis corporis, sic in animi vitiis remedia quae sanant, non quae exasperant, sunt adhibenda; præstatque homines in officio piætatis et honestatis publico exercitio continere, quam cōuenticulis fenestrā aperire, quib. proterua & falsa doctrina plerumq; fouentur. Adde quod diuersitas in Religione malū videtur hoc nostro seculo necessariū, quod tolerandum sit, donec Dei beneficio pax et concordia constituatur. Quod onus quisq; pius exoptare, & summis assidue precib. à Deo petere, charitatisq; erga proximū officiis persequi tenetur. Neq; est quod coniurati respondeant, politicorum hanc esse sententiā, sed Pontifices Romanos aliter sentire. Cur n. Iudeis Christum detestantib. synagogas Romæ permittunt? Cur ibidem Græcis à Romana Ecclesia dissidentib. rituū suorum usum concedunt? an quia (ut quidā olim Papæ) doctrinā Christi fabula esse credunt? & illis tantum Religionis libertate indulgent, quos pecunia emungunt? Qui vero ferre potest PP. Græcos, qui illum aperte insiciātur uniuersalē Episcopū esse, qui Misam sacrificium expiatoriū esse pro viuis & mortuis constanter negant, qui in fide Trinitatis cum Ecclesia Romana non congruunt? Ex quib. concluso, falsam esse coniuratorum opinionem, quæ nō tantum ipsaratione et politia, quæ in præci-
 piis imperiis ab omni memoria viguit, sed PP. etiā factō cōfutatur. Superest ut breuiter dicam, an bellum coniuratorum sit salutare Salutare id esse definitur, quod salutem & consolationē adfert: sed bellum neq; salutem, neq; consolatiōnē adfert hominib. sequitur non esse salutare. Scriptura sacra illud vocat vocabulo Hebræo Milchama, quod animæ, cor-

T H . B A N O S I T

pori, & facultatib. perniciē inferat. Pietas n. bello extinguitur, boni improbi sunt, effunditur sanguis, vita profligatur vastantur oppida, agri depopulātur, blasphemias, sacrilegias stupris, latrociniis, omnia redolent. Nemo est qui inter arma uxorem, liberos, domū intueri possit absq; dolore. Cur, quæso, Dauidi pestis flagellum optabilius fuit quam belli? An non, quia gravante peste, omnes demittunt se mortalitatis memoris, in proximum sunt benigni, ferociam deponunt, & Deum inuocant? At sequente bello ferociores reddimur in proximū, & licet momento horæ mors immineat, mortis tamen nemo recordatur; in Deum sumus maledici, eiusq; irā modis & scelerib. prouocamus nefandissimis: hinc pestes, & famæ oriuntur crudelissimæ, quibus omnis humanitas exuitur, & more brutorum proximi carnem, multi deuorarunt. Veteres historias prætero. quid Lutetiæ urbi Reginæ superiorib. annis acciderit, referā: Matrona diues, dum fame se deficere persensit, nec auro quo abundabat, viictum parare potuit, liberos concidit in frusta, miseramq; traxit animā, terendo dentib. tenellos artus quos paucis ante annis, visceribus gestauerat. Moritur tandem fame infelix, non tam suā, quam filiorum vitam deplorans, nec illa modo, sed plus quā septuaginta milia animarum, biennii spatio fame detestanda in urbe, ante quatuor annos abundatissima, perierunt. Quas calamitates perpesta sit Rotomagus, ab hinc mensib. sex, quib. obsidetur, quis referre posset? hoc certum est ingētes copias auro Hispanico, & pontificio ad obsidionis liberationē ad hunc usq; diem congregatas, et Alexādro Farnesio Duce Parmensi in Henricum IV. impetum faciente, nihil obseſſis præter calamitatis grauitatem, coniuratis vero dannum & ignominia attulisse. Equidem



P R O C M I V M.

dem nisi furore dominandi obcæcati essent illorum animi, agnosceret bellum sacrum sibi, & suis hactenus internecium & extiosum fuisse. Commemorabo tantum aliquot clades, quæ receti memoria illis contigerunt. Duo fratres Lotharingi belli sacri in Gallia duces, & faces, ferro & igne Blesis absumpti fuerunt. Quā profunda & admirabilia sunt Dei iudicia! Is qui in strage edita Parisis, anno 1572. piorum sanguinē per proditionem effuderat, & de ea triumphum reportarat, insidiosa & crudelissima morte plectitur ab eo, cuius minister fuerat in laniera illa omni crudelitatis facinore nobilitanda. Quid vero cōjuratis pernitiosus accidere potuit, quā parricidio Regis sui Catholici Romani obstringi, ad quod vindicādum, omnes Galliæ proceres, & nobiles præcipui per iusiurandū solemne se adegerunt? Cuius supplicium, et si ad annos centū differatur, tamē mora vindictæ grauitate compensabitur, & auctorib. posterisq; exitiosa erit in sempiternum. Agnoscat etiam Dei manum, à quo profligati fuerunt in prælio Sauliano, in quo decē viri, centum ex illis, & centum mille infugā coniecerunt, & trucidarunt. In pugna vero Iüriana, in qua Comes Egmondanus periit, tū occisa, tum capta, plus quā v. cōjuratorū millia, paucis parte ex Regis Henrici IV. desideratis. Recordentur equitis Aumalii, qui Sandenisū doloso Marte ambiens, ab eodē misera morte afficitur: deniq; ex millib. XII. quæ Gregorius XIV. in subsidium Cōjuratorum miserat, quarta hodie pars nō extat, cōsumptis cæteris gladio, & famis internecione. Nolo oleum igni addere, hæc pauca satis sunt, ex quib. necesse est fateantur, bellum sacrum sibi & suis hactenus salutare minime fuisse. At, inquiunt, nulla remedia quæ vulnerib. adhibetur tam faciunt dolorem, quam quæ sunt salutaria. Id concedo verum in remediis, sed quis in bello ciuili remedium inesse dicer, cūius exi-

TH. B A N O S I D P R O C E M I V M.

tus semper fuerunt luctuosí? Religionem armis promoueri posse,
si forte existimat, aberrant. David vir fuit integer, & secundum
cor Dei, ut scriptura fidem facit, non tamen electus est à Deo, ad
templi Hierosolymitaní aedificium instaurandum, quod vir san-
guinis esset, in bello & extra bellum multos cecidisset. Salomonē,
id est, pacificū, elegit ad hoc opus perficiendum. Nō igitur apti
sunt coniurati homicidae, ad Ecclesiæ instaurationem promouen-
dā. Errant vero toto cælo, Regē a Deo constitutum oppugnādo-
rium, bonum, iustum; qui si malus, iniustus, vel impius esset, cor-
rigendus, instituēdusq; nō belli aculeis, sed veritatis testimoniis.
Deniq; desinant Religionis Cathol. Zelum obducere. Fædus.n.
quod lanctū vocant, ficta religio est, & inuadendi regni cōspira-
tio. Narrat Iosephus Iudeos sub Nerone motus graues in Iudea
& Samaria excitasse: Prætextus belli fuerunt Religio & insti-
llo lu-
bib. 4 de bel tutia maiorum, quorum Zelo se duci profitebatur: verū nihil mi-
nus curarūt quā religionem. Templum.n. pro cuius gloria pugna-
re se dicebat, igne cōsumperunt, & perimacia sua urbē & Ec-
clesiā extrema clade deuastarunt. Ad hanc historiā probent con-
iurati seipso, & sua facinora. Cogitent unde sint, qui sint, &
quales sint futuri. Etenim iusta semper fuerūt Dei iudicia, sunt,
& erunt. Sidus quidem mortale est, quod extinctum volunt, sed
illo occumbente, exorientur alia lumina, quæ Hispani & Lotha-
ringicæ stirpis tenebras fugabunt. Proæmii fines transgredior,
finem facio: cætera qua ad PP. excommunicationem cōfutandam
faciunt, lector repetere poterit ex Censura Orthodoxa sequenti,
breui quidem, sed valida; quod nitatur auctorib. omni exceptio-
ne maiorib. quorū nomina in fine notantur. Deum O. M. obte-
stor, ut Satanæ conatus irritos reddat, proceres Ecclesiæ nutritios
potentia sua tueatur, & Reip. Christianæ pacem restituat. Ex
musæo meo 12. Martii, calculo antiquo, 1592.

EX-



EXCOMMUNICATIO.

SIXTVS EPISCOPVS,
SERVVS SERVORVM DEI,
AD PERPETVAM REI
memoriam.

CENSURA.

HAEc inscriptio mutuata est à Gregorio I. qui ut detesta-
retur superbum titulum uniuersalis, seruum seruorum
Dei primus se nuncupauit. Eius posteri hac Epigraphe
tanquam hamo esca obducta deinceps usi sunt; quæ vul-
pinam fraudem retegit. Nam Papa, qui seruus seruorum
dicitur, quicq[ue] hoc loco Episcopus tantum nominatur, paſsim Episcopo-
rum Principem, & Ecclesiæ Catholice caput se esse iactitat. Egregius
scilicet, seruus seruorum Dei, qui felse opponit & effert aduersus ^{2. Thessal. 2.}
quicquid dicitur Deus; adeo ut in templo Dei fedeat tanquam
Deus, qui aucto habitu & triplici tiara in aurea sella sublimis adoran-
dum se Romæ exhibit; qui (si ei credere fas est) pro arbitrio cœlum re-
serit & aperit; qui currus animarū pleno iure ad Tartara detrudere po- ^{c. Si Papa.}
test; qui omnes iudicat, & à nemine potest iudicari; qui utriusq[ue] gladij ^{dist. 40.}
Ecclesiastici & Politici potestatem sibi arrogat; qui imperium à Græcis ^{ca. vnæ san-}
ad Germanos translatum esse beneficio suo gloriatur, eiusq[ue] Imperatores ^{dam, De ma-}
fidelitatis iuramento sibi obstrictos esse, in Concilio Viennensi decreuit; qui ^{ior. Cb. obed.}
crepidas suas iisderi imperatoribus de osculandas promouet; qui eosdem ^{in extren.}
pedibus suis conculeat; quos Luna, scipsum Soli cōparat; qui deniq[ue] regna ^{cōmūn. lib. 1.}
& Imperia pro libidine animi transfert; nec peccati ab eo potest, Cur hoc vel ^{tit. 9.}
c. unicum.

CENSURA ORTHODOXA

illud faciat, qui deniq; orbis Christiani regna omnia sibi feudataria, & Reges omnes Europea vassallos suos esse impudenter affirmat. Ecquis seruum adeo superbū, tyrannum hominibus illudentem diutus feret in Ecclesia Dei? Itaq; ad perpetuam tyrannidis ipsius memoriam corrigatur superior inscriptio, in hunc modum:

Apoc. 18.

Sixtus ex monacho Papa V. Romanus Antichristus, seruus seruorum Babylonicae meretricis, sedens in templo Dei tanquam Deus, & supra omnes sublimiores potestates se efferens superbe, & dominans tyrannicè.

EXCOMMUNICATIO.

Ab immensa æterni Regis potentia, beato Petro, eiusq; successoribus tradita auctoritas omnes terrenorum Regum & Principum supereminet potestas, stabiliq; in petra consistens, nec ullis aduersantib. vel etiam secundis flatibus à recto deflexa, incōcussa profert in omnes iudicia, & ne diuinæ maximè leges violentur, summa ope prouidet; & si quos ordinationi Dei resistentes inuenit, seueriore hos vindicta vlciscitur, & quamuis potentiores de folio deiiciens, veluti superbientis Luciferi ministros; ad infima terræ turbatos prosternit.

CENSURA.

Apoc. 13.

Ex his Sixti Papæ verbis verissimum est constat, quod de Antichristo legimus, Bestiæ esse, quæ duo cornua habeat agnisi similia, sed loqui ut draco: is enim in huius Excommunicationis inscriptione Christi veri agni cornua duo, scilicet Episcopi sanctitatem, & servit Dei humilitatem, fucate assumpsi; statim vero superba præse fert ut draco. Nam quod ait Petro Apostolo, & successoribus eius datam esse auctoritatem supereminentem in Reges & omnes alias potestates; resellitur disertis Christi verbis, qui sœpe testatus est regnum suum non esse de hoc mundo; & fugit è conspectu eorum, qui illum Regem, præposterozelo, constituere cupiebant; Apostolos etiam de principatu cogitantes, his verbis corripuit, Reges nationum eius dominantur, at non ita futurum est inter vos, &c. Alibi quidem dixerat successores esse Apostolos super thronos duodecim, & iudicaturos duodecim tribus Israel, cum in regeneratione sederit Filius hominis in throno gloriae sua. Verum ista ad illum diem pertinet, in quo filii Dei, animo & corpore

Ioan. 18.

Ioan. 6.

Matth. 20.

Matth. 19.

pore regenerati, vita æterna fruentur. Neq; Petro, aut solis Apostolis, sed illis omnibus promissa sunt, qui derelicti seculi deliciis Christum secuti sunt, & lequentur. Quod Apostolus innuere videtur his verbis, 1. Cor. 6. An non nos istis quod sancti mundum iudicabunt; & quod Angelos iudicabimus? At inquit Romanæ tyrannidis fautores, Dicitur est. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; Item, Dabo tibi claves regni cœlorum, &c. Sed ridiculos se prebent qui ex illis locis imperiosim potestate Petro datam esse contendunt, cum per Matth. 16. tra, de qua Christus loquitur, sit fidei confessio, quam Petrus de Christo Filio Dei ediderat, quia tot etiam Ecclesia est communis. Euangelicum vero ministerium Petro & aliis Apostolis commissum; clavis, & æconomi potestatis ab Esaiæ comparatur: Euangeliō enim veluti clavis aperiuntur fores regni cœlorum, pœnitentibus & credentibus; impœnitentibus & incredulis clauduntur. Itaq; Petro & aliis Apostolis Ecclesia & æconomis non principatus, sed ministerium Euangelicum, non plenitudo potestatis, sed pœnitentia & fidei doctrina commissa est: & ita superiores locos interpretati sunt, August. tract. 10. & 124 in Ioannem, Hieronymus in Matt. Ambrosius in epist. ad Ephes. 2. c. Chrysost. hom. 55. super Matt. et 21. serm. die pœtecost. Bernardus serm. 61. Certa est autem haec regula, Nemo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habeat: Petrus plenitudine, aut ius immensa potestatis non habuit, multò minus ad suos heredes vel successores trasferre potuit. Sed demus habuisse, nunquam tamen probabitur illud ius ad Papam & cinquos suos rubros ulli iure diuino aut humano pertinere, qui non Simonis Petri pietati aut doctrinae, sed potius Simonis Magi impostura et auaritiæ succederunt. Quam vero arrogant sibi potestate, eam à Phoca proditore nacti sunt, qui cum Mauricium Impera, anno 600. do. minum suum, necnon eius liberos per proditionem & scelus trucidasset. Platina in homicidij crimen à Bonifacio Papa absolutus est, & Imperator agnitus faci tertii. hac lege, ut vicissim ille Episcoporum Princeps & caput Ecclesia agnosceretur. Quod Gregorius Papa ante repudiauerat, vereque vaticinatus est eum fore Antichristi precursorum, qui hanc potestatem sibi primus vindicaret. Greg. lib. 4. epist. 76. ita lib. 6. epist. 188.

EXCOMMUNICATIO.

Quare pro incumbenti nobis Ecclesiarum omnium, populo-
rum ac gentium solitudine, ut animarum salute in primis pro-

spiciatur, & non solum famulatus nostri, sed etiam omnia futura tempora impiis ac detestandis monstris purgata, cunctis Christiani orbis partibus pacem afferant & quietem, & præsertim amplissimo Galliæ regno, in quo Christiana religio omni tempore ita viguit, tantaque Regum illius pietas, fides ac deuotio, tot in Romanam Ecclesiam merita extiterunt, ut iure optimo gloriosissimum Christianissimi cognomen ab ea sint consecuti; ac etiam ne nos de neglecta officii nostri cura vñquam apud Deum argui possimus, arma militiæ nostræ, quæ non carnalia sunt, sed potentia Deo in destructionem munitionum nunc contra duos potissimum iræ filios, Henricum Borbonum quondam Nauaræ Regem, & Henricum item Borboniū olim Principem Condensem exercere compellimur.

CENSURA.

Scite dixit quidam, Nullam pestem capitaliorem pastoribus accidere posse πολυτελεγμοσύνη studio; quò fit, ut neglectis Ecclesiis, quæ ipsorum fidei commissæ sunt, alienas current quæ idipso non pertinet. Quod Sexto usquevenit, qui de Romana Ecclesia salute & reformatione securus; cuius Episcopum se esse prætendit, omnium Ecclesiarum (& præsertim regni Gallici) ad ipsius curam non pertinentiū solitudine se duciphalera-

D. Bernard. *ta oratione suprapersuadere conatus est. Evidē liceat nobis D. Bernard-*
De consider. *di verbis Eugenium Papam alloquentis, Sixtum etiā Papam interpellare:*
lib. 4. *ta oratione suprapersuadere conatus est. Evidē liceat nobis D. Bernard-*

di verbis Eugenium Papam alloquentis, Sixtum etiā Papam interpellare:
,, Cleri & populi tui, cui specialiter episcoparis, specialis cura teneris debi-
,, tor; hi qui tibi quotidie assistunt seniores populi, & qui de domo tua sunt,
,, capellani, cubicularij ministri; hi sunt qui non verentur suscitare dile-
,, ctam, & antequam ipsa velit: deinde omne quod perperā agitur te præ-
,, sente, id tibi turpius. Quid de populo loquar? populus Romanus est, nec
,, brevius potui, nec expressius aperire de tuis parochianis, quod sentio. Gens
Papa vel „, insuet a paci, tumultui assueta. De Satrapis, quem dabis mihi de tota ma-
precio vel „, xima urbe, quæ in Papam receperit, prelio seu spe pretij non interueni-
spe pretij „, ente? Qui tunc potissimum volunt dominari, quum profesi fuerint ser-
tur. „, uitutem, fideles se spōndent, ut opportunius fidentibus noceant. Hi iniurī
„, cælo & terre, impij in Deum, temerarij in sancta, seditioni in inuicem,
„, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos. His sunt, qui subesse non susti-
nent,

nent præsse non norunt, simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores. Inter hos tu Pastor procedis deauratus (si auderem dicere) dæmonum magis quam ouium pascua hæc. Scio, vbi habitas, in creduli & subuersotes sunt tecum, lupi, non oves sunt; talium tu tamen pastor, Pastorem te nega, aut exhibe. Petrus nescitur pro cessisse aliquando vel gemmis ornatus vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. In his successisti non Petro, sed Constantino. Etsi purpuratus, et si deauratus incedis, & si Petri pastoris hæres es, pascere & euangelizare te decet verbo, non ferro. Quid in denuo usurpare gladium tentes, quem in ssus es ponere in vaginam? &c. Hactenus Bernardus. Quid illum dicturum existimamus, si hodie viueret, & intueretur idolatriam, atheismum, sodomitiam, verbi Dei & sacramentorum prophanationem, sacri ministerii nundinationem, infinitaque alia que in Ecclesia Romana luce meridiana magis conspicua sunt? Quid si Papa & Cardinalium infidelitatem, simoniam, coitus nefandos, adulteria, fastum, auaritiam, periuria & consimilia crudelia audiret? Antichristum vocaret ut olim filium perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed meridianum; & exclamaret absque dubio, O celum, cur hæc videns sceleris non ruis, & terraferens non debiscis! cur ignis non absorbes, & diluuium rufus non expias! Hæc specilla naribus suis & Cardinalium admoueat Sixtus, discatque illud Christi, Hypocrita, eiice primum trahem illam ex oculo tuo, & tum despicies ut eiicias festucam ex oculo fratribus tui. Enim uero si Sixtus V. P.P. Petri successor esset, vel Ecclesia Christianæ pastor, conuicio, & crudelitate non ageret in eos, quos pascendos, non conciando aut occidendo a Domino accepisset. Gregorius I. Episcopus Rom. in epistola ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum; Pastores, inquit, sumus, non persecutores: verbis benignis, non flagellis agendum in eos quos in errore vel heresi esse existimamus, praesertim erga Reges & principes, de quorum personis cum agitur, non calumnias, non conciis, non proscriptionibus, aut seditionibus quidquam pertentari debet. Ambrosius excommunicaturus Theodosium Imperatorem, non illum nominat filium iræ, ut Sixtus regem Nauarrenum & principem Condensem supra nominavit; non illum inconstantem, leuem, tyrannum, homicidam propter cædem Thessalonicæ perpetratam, vocat: sed ut in hi-

Matth. 17.

CENSURA ORTHODOXA

istoria Tripartita legimus, sic affatur: Imperator es & princeps procerum tuis similiū, qui eiusdem domini ministri sunt, sed unus est Deus mundi creator, omnium dominus, cuius vinculum cogeris nunc perpeti, quia insigne pharmaciū est, ad recuperandā animę salutem, cuius iacturā fecisti. Hac fuit vox Pastoris, ouē benigne corripientis, & in viā reuocanis. Quid ad eā Theodosius? Tuū est, inquit docere, & remedia moderari, meū est ea cū obedientia suscipere. Deniḡ primis Ecclesia Christianae seculis rescripta, nulla satyrica, aut iudicia proscriptio[n]is ferrebatur ab Episcopis in eos, qui legitima cognitione, & examine, diuinam censuram incurserant.

EXCOMMUNICATIO.

Ille n. quondam Rex, Caluini errores, atq; h[er]eses etiā ab incunente adolescentia fecutus est, pertinaxq; earum patrocinū tandem exercuit, quo ad clarę meni. Caroli noni Francorum Regis, & charissimae in Christo filiae Catharinae Reginae eius matris pietissimæ, atq; etiā dilecti filii nostri Caroli titu. 8. Chrysogoni presbyteri Cardinalis Borbonii patrui sui, & Ludouici Mōpenserii Duxis, piis frequentibusq; hottationibus, apertisq; eximię virtutis ac doctrinę Theologorū demonstrationibus ad fidem Catholicā & Apostolicā Rom. (vt existimatatur) conuersus, h[er]eticas omnes contra fidē Catholicā opiniones Parisiis publice in Ecclesia damnavit, anathematizavit & abiurauit, fidemq; ipsam Catholicā expresse professus est, datisq; subinde suis ad fe. re. Gregoriū Papā XIII prædecessorē nostrū literis, quibus cundem prædecessorē supremū Catholicā Ecclesiæ caput iā agnoscens, ipsum suffplex deprecabatur, vt p[re]nitentiæ, cōuerisionis & obedientiæ suę confessionē acceptam habere, & anteactorum veniam remissionisq; gratiam concedere dignaretur, firmiter promittens se fidē ipsam Catholicā perpetuò integrè ac in uiolatè seruaturū. Quib.literis, vtpote regiis, idē prædecessor credēs, & paternæ charitatis visceribus cōmotus, ac etiam grauissimo Regis, Reginæ matris, Cardinalis & Duxis prædictorum de huiusmodi conuersione testimonio adductus, illum ipsum præteritos errores confitentē veniamq; humiliter petentē, à crimine h[er]esis, & à censuris Ecclesiasticis propterea incursis absoluīt, & in gremiū sanctæ matris Ecclesiæ, cōmunionemq; fidelium admisit, omni inhabitate ab eo sublata.

CENS V-

IN EXCOMMUNIC. SIXTI P. V. 7
CENSURA.

Qui in historiis versati sunt, nō rūni Christianā Occidentis Ecclesiam Pontificū Rom. artolatria, idolomania, eorundē hæresibus & imposturis pedetentim adeo corruptam fuisse ante Lutheri & aliorum piorū Doctorum scripta, ut extincta fere esset vera doctrina in Ecclesia. Horū vestigiis insīstens Calvinus natione Gallus, scriptis suis doctissimis Papatū non solum oppugnauit, sed Ecclesiæ reformationem suo ministerio promouit. Propterea à Papa & suis hæreticus pronuntiatur, cum ipse mei hæreticus non tantū sit, sed didololatra, homosceleratus, & filius perditionis, qui my-
sterium iniquitatis in Ecclesia operatur. Falsissimū vero est illud mendacium, quo affīrat Sereniss. Regem Nauarræ Caluini errores & hæresin ab adolescentia secutum fuisse. Is. n. orthodoxe fuit educatus, et fidē quam proficitur, hanc ex fontibus verbi Dei, in nullius, nedū in Caluini verba, unquam iurauit; Doctorū dicta quæ audit, & scripta quæ legit, ad Scripturæ sacræ Lydiū lapidem probat, contra quam si Angelus è calo loquere-
tur, ei fidem nō adhiberet aut adhæreret. Protestatio fidei quam serenissimus Rex Nauarræ edidit, & typis mandata est, hæc capita continent: Se non in alia re, quam in fide & religione Christiana spem salutis sua collo-
care, quam quidem omnibus animi viribus amplectitur, velut certissi-
mam planeq; impeccabilem regulam, ex qua apprehendit verbum veteri & nouo testamento comprehensum, quod Deus in huius seculi tenebris Ecclesia sua pro lucerna qua dirigatur, instaurauit. Item: Quod credit unam Ecclesiam Catholicam Apostolicam, prout cuius salute instauratio-
neg, in omni genere gratiarum Deum indies deprecatur, felicissimum qz
se iudicaret si pro eius aduersus infideles tuitione sanguinem suum effun-
deret: deniq; quod credit & recipit Symbola sue compendia fidei Chri-
stianæ ab illa ipsa Ecclesia Catholica & Apostolicainstituta, ut sint nota
quibus Christiani & Orthodoxi, ab Heterodoxis & perperam de fide sen-
tientibus hereticis discerneretur, sicut etiam libenter amplectitur veris-
fima, & legitima concilia aduersus illos habita. Damnat ex animo o-
mnem doctrinam ab eis damnatam, est qz & erit semper paratus, ob ho-
norem quem desert Ecclesia, ad subeundum eius indicium, sententiæq;
eius acquiescendum, quando illa ad legitimum sanctum qz Concilium con-
uenierit, in quo de rebus in religione controversis ex Dei verbo, & vete-
ris Ecclesiæ canonibus decidatur. Quæ cum ita sint, sycophantam agit

CENSURA ORTHODOXA

Sixtus V. qui pientissimo Regi sectarii maculam inurere conatur. Quod vero subiicit Sereniss. Regem Nauarrae exhortationibus Regis Caroli nonni & Principum, necnon Theologorum piis admonitionibus conuersum fuisse, ad Papae & Ecclesie Rom. agnitionem, in sequentibus pluribus refutabitur; hoc tantum nunc dicemus in strage Parisiis edita, anno LXXII. XXIIII. Augusti, non Theologos, sed Antichristi furias in conspectu Regis adolescentis apparuisse, non deliberandi tempus, sed moriendi terminum ei prescriptum fuisse, nisi morem continuo gereret iis, quæ facienda & subscribenda ei per vim proposita fuerunt; Et tu, Sixte, ista exageras? quasi vero hic locum non habeat illud Vlpiani Iuriscons. Quod tamen Lutevi, metusve causa gestum erit, ratum non habeo. Evidemt consstabilius mulieris illa non fuit, sed destruicio; non libera actio, sed impulsio violentissima: non fides, sed proditio; cuius memoriam obliuioni sempiterna mandare prestabilius multo esset, quam refricando perfidiam & crudelitatem adeo insignem magis magisque posteritati consecrare.

*et perpetua obliuio prodicitur
in conspectu
et recordatione, quæ patris
refrigerando crudelitatis nota magis insignem
reddit.*

EXCOMMUNICATIO.

Quinetiam ut arctiori & firmiori vinculo ligaretur, cum eo & Margarita dicti Caroli Regis sorore, quæ ex illa Christianissima stirpe nata atque alta facile maritum in officio & Religionis Catholicæ obseruantia continere posse sperabatur, dispensavit, ut non obstantibus impedimentis tertii & aliorum forsan inter eos graduum consanguinitatis & cognationis spiritualis, matrimonium inter se contrahere possent, prout in facie Ecclesiæ contraxerunt: excusisque deinde aliquot mensibus, ille Iohannem Duratii Dominum Oratorem suum, qui nomine suo de penitentia, conversione, fide & constatia sua in sedis Apostolicæ conspectu sponderet, ad dictum praedecessorem delegavit, habitaque, pro eo publico, solennique in aula regia de more consistorio, in confessu sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium prælatorumque & aliorum frequentissimo concursu, professis omnibus supra dictis, idem Henricus tanquam Rex recens ad fidem conuersus, & ut Catholicus admissus est, tota vrbe exultante, & ingentes Deo, de conquista & inuenta oue, gratias agente.

CENS-

IN EXCOMMUNIC. SIXTI P. V.
C E N S V R A.

Superior narratio de dispensatione matrimonij Regis Navarre, cum Margarita Caroli IX sorore, facta à Gregorio XIII. fallacia non caret, & historiā facti confundit. Nam ad petitionē predicti Caroli, non Navarrani Regis, concessa fuit illa Pontificis dispensatio, quē Ecclesia caput, imo ne ipsam quidem Romanā Ecclesiam pro Catholica nō agnouit ante nuptias, nec in solemniritu nuptiarū, quæ pro forib. templi D. Mariae celebrata fuerunt, absq; vlla ceremonia superstitiosa. Sponsa quidem Margarita, post matrimonij benedictionē templum ingressa est cum suis, & Missa solemnib. adfuit. Sed Rex Navarre, sponsus extra templū mansit, nec ullum assensum præbuit, vle epistola, vel syngrapha; vel præsentia, qua Romanas superstitiones, & cultus idololatricos approbarit; contra vero antea sponsalia, in ipsis sponsalibus, & solemnibus nuptiarum semper protestatus est, se nihil quidquam facturum aut assensurum, quod puriori Religioni, in qua educatus fuerat, aduersaretur. Ex iis constat dispensationem Pontificis Gregorij XIII. longe ante celebrationem nuptiarum, Carolo nono concessam fuisse. Quod vero, Sixte, addis dispensatum fuisse à tuo predecessor, super impedimenta terrij & aliorum forsan graduum, quibus contrahentes impediri potuissent, ne matrimonium inierint, ineptum & insulsum est. Nam, sacratissime Pater, tuum non est, nec antecessorum tuorum fuit de gradibus in matrimonio prohibitis leges condere, aut relaxare: magistratus enim illud est officium; quod cum ausi estis usurpare, circa istas leges matrimoniales non mediocriter peccatis. Primo enim gradus omnes usq; ad septimum contra expressum Leuit. 18. Dei verbum vestris legibus interdixisti. Quod cum à Pontificiis etiam derideri animaduertisti, ad quartum gradum vestras leges postea contraxisti; cap. non debent, 8. cum seq. de consanguinitate & affinit. Ius quidem ciuale nuptias prohibuit intra quartum gradum, inter collaterales, s. duorum, Instit. de nupt. sed vt ius ciuale naturam & veritatem sequitur, singulas generationes pro gradu computans: ita Pontifices ex suco et fallacia ius illud produxerūt, pro simplici computatione duplēm introducentes. Etenim vt quatuor generationes inre Ciuli quatuor gradus efficiunt, sic iure Canonico octo generationes tantum, quatuor gradus faciunt. Hæ sunt (Sixte) leges quas sub pena Excommunicationis obseruari edixisti, nisi ad vestras lacunas explendas offerantur pecuniae.

tunc enim non tantum vestras, sed Dei etiam leges turpiter, & nefarie soluitis. Falsissimum enim est quod Rabini vestris scripsierunt lib. 4. Sententiarum dist. 3. 4. illa præcepta qua in lege Dei de gradibus matrimonialibus lata sunt, maiori ex parte iudiciale esse, qua Papa iure positivo, siue Ecclesiastico immutare posset. Naturalia verò & moralia esse, hoc uno argumento satis probatur, quod Chananeos, neg. Iraeliticæ Reipub. ciues, neg. legibus Mosaicis nondum latius adstrictos: nihilominus tamen Deus profugauit propter coniunctiones in honestas ab illis, contra naturæ bene instituta leges usurpatas, que per peccatum veluti obliterata, postea lege diuina instaurata sunt: illisque, ut moralibus, omnes Christiani obstringuntur. Matrimonij vero leges Papa non solum refixit, sed ipsum etiam matrimonium veluti prophanum damnauit, & eo clericis interdixit: sed quod horrendum est, concubinatum permisit, & incestus remisit, contra Dei verbum, & Ecclesiæ Catholicae canones. In Concilio Matrimonii cap. 18. incesta copulatio definitur, in qua nec coniuges, nec nuptias recte appellari leges sanxerunt, eosq. grauissimis paenit affiendos esse, qui nativitatis sua gradus monstrosa libido contemnentes, in stercore ut sues conuoluntur. Quo magis detestanda est Pontificis Romanisimonia, qui ea quo sunt Iuris naturalis & diuini auaritia sua non tantum relaxat, sed etiam immutat. Concilium certe acumenatum, ea quo sunt Iuris diuini & naturalis immutare non potest, tantum abest, ut PP. concilio inferior peruertere posset. Itaq. (ait Baldus) Papa leges Dei soluendo, non facit id ex plenitudine potestatis, sed tempestatis, qua Ecclesia Dei turbatur & corruptitur. Ferdinandus Rex Neapolitanus amitam suam duxit approbante Alexandro VI. Martinus V. Papa matrimonium remisit cum sorore germana: Emanuel Rex Portugallie duas sorores habuit uxores; Catharina Regina Anglia duos fratres coniuges, Pontificibus incestuosas istas nuptias non solum ferentibus sed dispensantiibus. Sed vetera quid commemoramus exempla, cum hoc seculum sceleratissimis Paparum dispensationibus caninis potius, quam humanis nuptiis sit pollutum & conspurcatum? Nec mirum. Absolutio enim pontificia, pro iis qui matrem, sororem, aut consanguineam carnaliter cognoverunt, quinque grossitantum est taxata; ut habetur in libro cui titulus est, Taxa cancellariae Apostolicae. Evidem Sixte, quas Rex Navarranus contraxit nuptias cum Margarita Carolinoni sorore ratione

Historia de
incestuosis
nuptiis a Pa-
pis relaxa-
tis.

ratione gradus consanguinitatis bona conscientia iuxta Dei leges contraxit, nec ei villa fuit opus dispensatione. Cognitionis vero spiritualis, quod meministi, haud sumus, quid velis. Nam quae de cognatione spirituali, id est de compaternitate leguntur, Decret. Gregor. lib. 4. tit. II. adeo ridicula sunt, ut indigna refutatione habeantur. Quod si forte iudicas, illicitas nuptias fuisse in religione dispari: & si aperte dixisses, responsum tulisses te & tuo prædecessore dignum. Certe perperam opus procedit, cum vos & asini simul arant, contra Dei mandatum, cuius transgressio transgredienti fuit infelicitas.^{Dent. 22.} Caterum quae addita sunt, de legatione D. Durati fallaciter exponuntur. etenim constat hæc omnia contigisse post lanienam Bartholomæi, de qua supra obiter meminimus, non Regis Navarræ libera voluntate, sed tyrannide illorum, qui animam principis adolescentis, vitam & libertatem incredibili barbarie inuaserant. Quam vero captiose Romani Pontifices procerum actiones, quæ in suo sunt confessi, aucupari soleant, docent historiæ Alberti I. & Henrici VII. Imperatorum, qui olim sedi Apostolicæ Romanæ reverentiam iurarunt. At cum discordia exorta esset inter Henricum Imperatorem, & Robertum Siciliae Regem, Clemens V. Pontifex, ut ex illa lita commodum captaret, prætextu pacis concilianda literas scripsit, in quibus hanc clausulam inseruit. Quod ipsi Reges Ecclesiæ Romanæ specialissimi filii sibi iuramento fidelitatis & alias multipliciter essent adstricti, &c. et Henricus Imperator sub anulo pescatoris serpentem latere deprehendit, & accersitis tabellionibus, conuocataque magna hominum frequentia, palam protestatus est, se nunquam fecisse iuramentum, propter quod foret ad obsequium fidelitatis Papæ obligatus; reverentiam ei more prædecessoris sui, non fidelitatem, aut obedientiam promisisse. Idem Sixtus papatur ex legatione Regis Navarræ nomine Romani missa, non eius motu, aut assensu libero, sed motu illorum in quorum erat potestate. Sponsione certe nunquam fecit liberam, quæ sedi Romanæ deninxerit, & restitutus ubi primum fuit in libertatem, contra illam legationem & eius acta protestationem edidit, typis excusam.

EXCOMMUNICATIO.

Sed ille, ut erat vario & inconstanti animo, haud multo post à Catholica fide & debita erga sedem Apostolicam obedientia,

cæterisque à se expresse & cum iuramento professis deficiens, atque in eo quo prius erat, cœno reuolutus, à Rege Christianissimo clam se subducens, collectoque in loco ab ipsius Regis aula satis remoto, quam potuit copioso hereticorum sceleratorum, aliorumq; id genus impiorum hominum numero, ibi ea omnia quæ de Calvinismi detestatione, hæresum omnium abiuratione, ac Romanæ fidei Catholicæ & Apostolicæ professione antea fecerat, palam reuocauit, testificans, se Calvinismum ipsum profiteri, prout professus est, eique hæresi pertinaci & obdurato animo semper adhæsit, & in ea huic usque viuens, sèpius hæreticos perduelles ac seditiones (quorum caput, dux & propugnator in Gallia, & etiam exterorum hæreticorum acerrimus fautor semper fuit) ad arma contra prædictum Carolum, ac etiam charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum Regem Christianissimum: tametsi eum ut Regem ac Dominum suum colere, ut sororium amare & sequi debebat, omnis scilicet officii ac pietatis immemor, aduersus ipsum & reliquos Catholicos omnes concitauit, infestissimos exercitus, accutis etiam exterritū nationum hæreticis, contraxit; à quibus omnia passim loca cruentis piorum hominum cædibus fœdata, sacra Dei templa temerata & direpta, sacerdotes & viri religiosi cruciatibus trucidati sunt: oppida præterea & munitiones Catholicorum partim insidiis, partim vi & armis occupauit; & in eis Catholicæ Ecclesiæ ritus prohibuit ac sustulit; ministros & concionatores hæreticos constituit, ciues & incolas ad eandem impietatem capessendam minis verberibusque coëgit.

CENSURA.

Si nullum prorsus existaret documentum pietatis, candoris animi cæterarumq; virtutum, quibus Sereniss. Rex Navarræ præditus est, hoc unicum Sixti Papæ & Cardinalium testimonium ipsius in Deum & Ecclesiam pietatem satis demonstraret. Patentur enim illum non mulio post Lanienam Parisiensem, ubi primum se ex aula Regis subducendi facultatem nactus est, Ecclesiam Romanam, & Papæ obedientiam publicè abnegasse, & veram religionem professum esse. Nam quod de Cal-

uinismi

uinismi professione Papa narrat, simile est illi calumnia, qua Christo imponebatur à Iudeis, quod regni terreni munus obire, et templum destruere voluisse. Historiam vero facti paucis comprehendemus. Rex Nauarranus post sacrum Bartholomaei diem contra voluntatem plusquam triennium in aula Regis detentus, die quadam Lutetia venationis causa egressus est, Catholicis Roman. eum comitatus; insulanum ubi peruenit, illis aperte aperit animum sibi non esse in aulam regredi; quod ea tantum carcerem durissimo anima & salus, & corporis libertas constringeretur. Catholici so. y itineris et si Rom. Ecclesia essent addictissimi, Regi adolescenti stipulantur se eum deducturos quo voluerit, & re ipsa Alenconium usque XXXXV. milliaribus Lutetia distantem, deducunt. Ibi erat studiorum reformatarum religionis & administrorum Regis Nauarrani non exiguus numerus. Itaq. conuocata Ecclesia, Rex adolescentis palam & liberè agnoscit se periculi & mortis metu per vim sacrificii imputris Missa in aula Regis interfuisse, Deum cum lacrymis orat, ut sibi ignoscat; omnesq. adhortatur, ne ipsius lapsu offendantur, & invocato nomine Spiritus sancti, Deo & Ecclesiae Christi votum constantiam in posterum; Papam & eius falsam doctrinam detestatur. Quodq. tunc verbis pollicitus est, factis ad hodiernū usque diem comprobavit: tribus enim bellis ciuilibus propter Ecclesiarum reformatarum defensionem à Pontifici impeditus, periculis nec vita, nec fortunarum, aut dignitatum pepercit. Hinc inde lacrymae, quibus Sixtus Papa naturam referens Crocodili, & euptum diuina prouidentia ex fauibus meretricis Romanæ Regem Nauarranum deuorare nunc cum suis nittitur. Hinc ficta illa cri-

Regis Nauar
rani publica
abnegatio
Papatus, ini
tio anni

Crocodilus
& Papa la
chrimando
deuorante.

mina de rebellione & contumacia in Regem suum, de Ecclesiae Romanæ persecutione, & multa alia quæ addit manifestè falsa. Enim uero et si ad illorum confutationem Apologia minime opus est: attamen pauca attingemus, quæ ostendunt, quam familiare sibi Pontifici Romano dialegantur. Criminatur quod Rex Nauarranus in Gallia, etiam alibi hereticorum fuerit dux & propugnator acerrimus: quodq. contra Carolum & Henricum III. Reges Gallie arma sumpserit, & Ecclesiam Catholicam sit persecutus. Primum constat Regem Nauarranum natum esse circa annum 1552. vigente schismate in Ecclesia Christiana, cuius incrementum est imputandum Pontifici Romano & fautoribus suis, querationes conciliandi controversie ferro & igne persequendas esse duxerunt. Adhac

constat educatum fuisse in Gallia vigente exercitio utriusq; Religionis, quod quidem Reges predicti ex sententia Ordinum regni, & senatus consilio curie Parlamentorum permiserunt, & multis deinceps Edictis confirmarunt. Anno 72. vocarat eum ad se Rex Carolus, ut sororis suae matrimonio honestaret. Venit, cum eius religionis professione, in qua natus educatus erat. Quid inde secutum sit, praestat silentio prateriri, quam commemorari. Attamen ex communi piorum naufragio Rex adolescentes virgula divina liberatus, in suas divisiones se recepit; cumq; Dux Andegauensis armis sumptissimis; & illis praese ferret nihil aliud querere, quam pietatis & iustitiae columnas in festo Diui Bartholomai sacro Lutetiae, pro rata deieetas, rursus in regno Galliae erigere, & postea cum eo Rex pacem repente compo sisset, nullus lectus est articulus, neq; in causis belli suscepisti, neq; pacis compositae ad Navarrum pertinens, quamvis plus cause procul dubio quam quisvis alius haberet, vel ad reuocandas ad animū p̄steritas iniurias, vel ad quasi compensationem dannorum acceptorum exigendam. Mouere certe in Regem & omnes Romanenses bellum tunc Navarrano per facile fuisse, & equestres Germanorum copias quas Andegauensis dimiserat, ad se pellicere, quarum animi astidue mutabant, quod stipendia iis à Rege non persolverentur, ut ex articulis pacis cum Andegauo facta & promisum erat, hocq; nomine Parisios versus Martem mouerent. At Rex Navarre, neque hac occasione, nec alia publicam regni tranquillitatem, populi que bonum remoratus est. E contrario coniurati Pontificis Romani impulsu, aduersus Regis Edictum, quo pax Galliae & Religionis restituta erat, recens promulgatum, excogitarunt con spirationem, quam sacram vocant, in qua disertis verbis iurarunt in uniuersalem Euangelicorum exterminationem circa villam exceptionem acceptiōnē personarum, nullog habitu respetu cognationis, affinitatis, proximitatis, consanguinitatis, fraternitatis. Ex hoc somite cœpit denuo accēdi bellum ciuile in Gallia, anno 77. in perniciem Navarreni à confederatis initum, & illorum omnium qui priorem in Gallia Religionē profitebantur. Sed depulsum est iniustissimum illud bellum, cum tanta iustitia, lenitate & benignitate Regis Navarreni, ut in iis oppidis, que in sua potestate erant, nihil in Catholicos grauius aliquid statui, aut perpetrari permiserit, imo ne in ipsis quidem monachos & sacrificos, quos multis de causis veluti hostes, vel saltem suis rebus parum

Parum fuentes, hostiliter excipere potuisset. Huius rei fidem faciunt
Agenenses quorum ciuitatem Episcopalem supra Garumnam flumen po-
sitam, cum Rex Nauarrenus occupasset, neq; capitibus, neq; fortunis Ca-
tholicorum quidquam damni illatum est, nec religiosis ipsorum ex-
ercituum interruptum est, etiam in flagrantissimo civilis belli ardore. In
ea urbe satis fuit Euangelicis qui iusta defensionis gratia ad Regem Na-
uarræ confugerant, conciones sacras intra priuatos parietes habere. Erga
subditos vero Catholicorum Romanos ditionis Bearnenis quomodo se
gerat, nemo est in Gallia, quem lateat. Ioanna regina huius parense ex or-
dinum consensu, Religionem reformatam constituit, & stabiluit à mul-
tis annis: à qua cum in strage Parisiensi propter vim, ut vidimus, aliquā-
tulum deflexisset, Rex Nauarrenus reuersus ad suos, eodem amore, et cul-
tu Catholicos & Euangelicos est amplexus, imo plures ministri Catholi-
ci, quam Euangelici et sunt a consiliis, & inseruunt cubiculo, praefecti-
que sunt oppidis, et locis munitis in quæ habet summū imperium; nullus q.
inuentus est usq; in hunc diē qui in Comitiis, quæ in illa ditione singulis
annis habentur, in quibus unicuiq; licet libere querimonias suas propo-
nere, de grauamine Religionum, aut propter Religionē facta iniuria con-
questus sit. Ex quibus concludendum necessarium est, Regem Nauarre-
num, primum non esse, qui de abusibus in Ecclesiam inuectis controv-
eriam mouerit, eorumq; emendationem petierit: ideoq; iniustum esse con-
uicium quo propter votum Christiano principe dignum, heres eos cui ho-
stilitatis aduersus Ecclesiam insimulatur. Hæc vox à quingenis annis
& amplius, Principum & piorum omnium Christianorum est commu-
nis, Ecclesiam egerere reformatione, tum in doctrina, tum in moribus.
Quod vero Nauarrenus necessitate adductus, coniuratorum bellum à
ceruicibus suis, & suorum fortiter, & moderate propulsari iusta defen-
sione, non propterea Ecclesia hostis, aut oppugnator dici debet: illi potius
regni, Ecclesie, & communis boni hostes & perturbatores dicendi, qui
contra Regis & ordinum edicta, tam solenniter facta & reperita, con-
tra Dei verbum, Ecclesie primitiæ morem, patrū Orthodoxorum sen-
tentiam igne, ferro, denastatione, perjurio, laniena, uniuersum regnum
contaminant pretextu Religionis, quasi illis cura esset, potius benigni-
tate, penitentia, precibus, charitate, scripturarum gladio, conciliū ge-
neralis & liberis conuocatione, errorum repurgationem iamdiu oblinus-

sent. Quo vero spectet hæc coniuratorum coitio, nemo est cordatus, qui non animaduertiat; ut scilicet affectatum iam pridem Gallici regni imperium ad se pertrahant, vtq; tyrannidem Romanam cum sua tyranni-
de foueant: quæ ut ortum, ex sanguinis effusione & homicidio habuit; sic bello, & Republicæ Christianæ perturbatione, vires suas prædicatione verbi Dei debilitatas, recolligit. Sed in putidis istis Papa & accusationib. re-
fellendis nimium immoramus: hoc coronidis loco tantum attingemus,
Catholicos qui Regem Nauararum ex aula, tanquam ex carcere se sub-
ducentem comitati sunt, Impios homines à Papa vocari. Videant igitur
Catholicæ illi; inter quos fuit Dux Espernonius, quo elogio hic à Deo suo
terreno Papa afficiantur, qui illos impios homines vocat. Id certe iuxta
proverbium antiquum, Qui idolum colit, ab eo tandem contunditur.

EXCOMMUNICATIO.

Sed hæc ne quidem satis sibi esse existimans, inter alios, intimū quemdam suum nefariis artibus suis instructum extra Galliæ fi-
nes ad diuersa loca misit, per quem cum primariis hæreticis im-
pia consilia sua communicauit, eorumque vites & arma contra
religionem Catholicam & Romanā Pontificis potestatem pro-
uocauit, conciliabula quoque hæreticorum in diuersis prouin-
ciis habenda curauit, quorum nonnullis (dum iniquissima illa
foeda contra fidem Catholicam, ac prælettim cōtra Ecclesiæ,
Clerum, & vniuersos Catholicos regni Franciæ tractabantur)
ille non solum interfuit, sed etiam præfuit.

CENSURA.

Ista ad legationem pertinent quam anno LXXXIV. Rex Nauar-
renus in Angliam, Daniam, & Germaniam misit. Emissarius quidam
Papa edito libello, cui titulus est, Incendium Caluinisticum, eam tur-
piter & sceleratè traduxit, in quem merito illud poeta concipi posset;

" Vtque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,

" Mote bouis Phario clausus in æregemas.

Etenim Phalaris Romanus artificem hanc velut alterum Perillum
nactus est, qui libro suo famoso ut ignimiſili Ecclesiam Dei ubiq. com-
burere

burere & perdere curauit. In Serenissimum Regem Navarre, in aliquot Reges pios, in illustr. Principes Germaniae Protestantes, in consiliarios Imperialis Camerae, & innumerabiles cordatos viros, in Respub. profientes Euangelium D. N. Iesu Christi, non tantum debacchatur, sed eis detestanda crimina falso imponit. Elizabetham vero Angliae serenissimam Reginam rabido dente petere tentauit: sed ut telum in petram incidet, rorquetur in mittentem: ita conuicium in valde piam, & omni genere virtutum ornatisimam Reginam vibratum, in sycophantam recidit: nec nouum est ab hostibus Euangelii, cuius defensio nem & propagationem pie & constanter suscepit, probris infamari: cum ipse Apostolus hoc nomine καθαρια habitus, & τε σωφρολόγου conuictio agitatus sit. Tandem temerarius ille Theristes furore caco corrumpit, ut Andabata Reginae cuidam non pepercit, cuius tamen fama saltem hoc solo respectu consulere debuit, quod Romana Ecclesia sit obseruantissima. Ex prescripto certe legum ciuilium ignis supplicio & dilaceratione bestiarum plectuntur illi, qui data opera & studio ades incendunt: parem etiam paenam meretur hic incendiarius, qui libello suo tanquam siphone usus est, non ad extinguendum, sed excitandum ignem bellorum ciuilium, ad totius Europeae Christianae consumptionem & interitum. Ausus insuper est συνοφατικῶς responsonem falsam, supposita persona Principum Germanorum, ad illam legationem edere, qui (ut ex celsit. suar. literis constat) officioso & benigne ei responderunt. Sed mirum non est filium Papae in illis insigniter, & gnauiter fuisse impudentem, cum ipse mendaci parens, supra affirmare non erubuerit legatum Segurium nefariis artibus instructum, impia consilia cum primariis hereticis contulisse, &c. Mandata enim eius que in lucem Pontificiorum dolo prodierunt, & typis excusa sunt, testantur Regem Navarrenum singulari studio & laudanda bonitate, non ἀναρχίᾳ in Religione, sed veram concordiam illa legatione quæsinisse. Stomachum certe mouit Antichristo Romano illa legatio, quod ea illustrissimi Principis Gebhardi Electoris Coloniens. causa valde commendaretur, quem Gergorius XIII. ob hanc solum causam proscriptit, quod abnegata Romana loniensis. pro pseudo Ecclesiæ doctrina, orthodoxam fidem sit amplexus; sed bona causa ppter pariore Euægeliu profissionem an. Romani perpetuam super sortem iustorum. Denig. prædicta legatio insti- 1583. proscriptbitur.

tuta fuit, ut Reginā Angliae, Regem Daniae, & principes adhortaretur, priorem religionem amplectentes ad quærendas rationes componendæ controversia in uno & altero capite doctrinæ, quæ hostes abutuntur in communem Ecclesiarum perniciem: item ut firmam sibi conciliaret amicitia cum principibus Christianis, nihil amplius tunc ab eis expetens. Et quandoquidem sapientius expertus erat confederatorum insidias, qui repente bellum mouissent, legato etiam iustam pecunie summam commiserat, ut eam in Germania deponeret, e qua, ubi necessitas ita postularet, iusta sibi aduersus eos auxilia suppeterent. Hæc ita se habere testantur non modo archetypa mandatorum legati D. Segurii, typis excusa, sed testimonis infinitis comprobari possunt eorum, cum quibus res actæ sunt & pertractatae. Ceterum Principibus Germaniæ & protestantibus Sextus proterue conuiciatur, & PRIMARIOS hereticos vocat, quos speramus non permisuros ut inualescat hoc putidum Papæ conuicium, & suotestimonia confutaturos mendacium, quo affirmat illa legatione tractata fuisse iniquissima fœdera contra Ecclesiæ Catholicæ, & Catholicos regni Franciæ. Quæ omnia perinde falsa sunt, atque id quod subiicit de conciliabulis, quæ in diuersis prouinciis habenda curauerit. A quorum confutatione supersedemus, quod in Declaratione Regis Navarræ typis mandata, aduersus calumnias confederatorum, evidentissimis rationibus sint confutata. Deniq; confidimus eos omnes qui a Papatus tyrannie se vindicarunt, Ecclesiæ Galliciæ in acie nunc laborantibus, auxilia contra Antichristi & coniuratorum rabiem breui subministraturos, viresq; suas coniuncturos ad communem hostem, velut leonem rugientem, Ecclesiæ fauibus suis appetentem, depellendum, & intra cancellos suos coercendum. Meminerint etiam sapientes, vicina hac incendia paulatim propria inuadere & perdere posse, nisi mature extinguantur.

EXCOMMUNICATIO.

Henricus vero Borbonius Princeps Condæus, vtroque parente hæretico genitus, cum illi exitialia Caluini dogmata, eorumque administratos pertinaciter in omni vita fouissent, eorumdem patris ac matris sequutus hæreses, consimilia facinora etiam adolescens perpetrauit: deinde eadem illa, qua alter Henricus, opera

opera viam veritatis pœnitentia & humilitate cordis , quantum coniici potuit , arripiens, detestatisq; pariter & abiuratis publice omnibus hæreticorum erroribus & deliramentis, fidem Catholicam, vt præfertur, professus est. Quibus ad eundem Pontificem perlati, ac etiam pro eo similibus precibus porrectis, ipse prædecessor illum, ac etiam quondam Matiam Cluensem prætensam coniugem suam, eodem tunc hæresis crimine infectam, simili modo pœnitentem, detestantem, ac profitentem ab hæreti & censuris huiusmodi absoluit, eosq; in gremium Catholicæ Ecclesiæ, fideliumq; consortium recepit: quinetiam ex paternæ charitatis abundantia, cum eis, vt non obstante impedimento secundogradus consanguinitatis, quo inuicem tenebantur, matrimonium inter se contrahere possent, dispensauit. Sed ille paulo post ad pristinam impietatem rediens, deterrimamque illam viam, quæ signata & impressa erat vestigiis quondam Ludouici Condensis patris sui impiissimi, Catholicæ Ecclesiæ persecutoris ingressus, eisdemq; vestigiis insistens, se quoq; hæreticorum ac consceleratorum hominum dicti regni Galliæ Ducem, ac defensorem, bellorumq; ciuilium ac seditionum authorem præstitit, militum hæreticorum extenorum copias in Galliam transduxit: vrbes & oppida expugnare tentauit, templa euertit; sacra violauit & populatus est, sacerdotes indignis modis necauit, ministrosq; impiatum substituens, peruersam illorū doctrinam publicari & custodiri iussit: deniq; omne feritatis & sauitiae genus tam in Dei ministros, quam in cæteros Catholicæ fidei cultores exerceuit.

C E N S V R A.

De Bonifacio VIII. fertur, quod ut vulpes ingressus sit Papatum, regnauerit ut leo, & mortuus sit ut canis. Papa vero Sextus hactenus vulpem & leonem se præbuit, nunc rabidi canis instar illustriss. Principem Henricum Borbonium non solum mordet, sed ipsius etiam laudatissimos parentes pie in Domino defunctos, idq; contra Dei mandatum, Leuit. 19: quod iubet ne surdis maledicamus. Sed quid non audeat Antichristus in homines mortales, qui in Filium Dei viuentis est contumeliosus?

Equidem Ludovicus Borbonius Princeps Condæus, vir fuit post omnem memoriam inter Gallos, hostium etiam testimonio, fortissimus, singulari Elogium il- studio præditus, ad regiam dignitatem & patriæ libertatem conseruan-
lus. Principis dam: in primis vero Euangely propagandi zelo valuit aduersus tyran-
dous, eiusdem ^{Ludouici Cō} nidem Antichristi Romani. Multa in hunc finem subiuit pericula, insi-
demq; mors nitos pertulit labores, manus saepe cum Ecclesiarum reformatarum op-
proditorie pugnatoribus in Gallia conseruit. Tandem anno LXIX. mense Febr.
ad Bassacum equo occiso in terram susus, foriiter pugnans, ab hoste capi-

Henricus 3. rex Gallia-
eo tempore,
dux Ande-
gauensis di-
cebatur.
tur, data tamen ei prius fide, quod in columnis conseruaretur: sed mox
vñus Duxis Andegani excubitorum præfetus à tergo Condæi caput glo-
bulo traiecit, quo continuo mortuus est. Denig, ut pro Christi Euange-
lio, pro Ecclesiarum reformatarum libertate & patriæ incolumentate, he-
ros ille vitam consecrarat, ita dum eam proditorie amist, hostes suos vi-
ctus, mortem mortuus vicit, & posteris suis testimonium pietatis & vir-

Ludou. Prin-
cipis Condei
uxor à Roy-
ensi familia
tuam ingemuit, & ipsius nomen & memoriam adhuc colit, & venera-
tur.

Henricus filius, hodie Princeps Condæus, quod utriusq; parentis
Principis Cō-
dans virtus-
que parentis
pietatem &
virtutem i-
mitatur. Henricus filius, hodie Princeps Condæus, quod utriusq; parentis
virtutem & pietatem imitatur, hereticus, Catholicæ Ecclesiæ persecu-
tor, hereticorum dux & defensor, templorum euersor, sacerorum con-
cussor, sacerdotum homicida à Papa falso designatur. Quid non? Ma-
ritatur. Maria etiam Clivensi eius uxori iam dudum pie mortua, os impudens Anti-
christi non pepertit. Ambo certe coniuges pīj. paulo ante lanienam Pa-
risiensem matrimonii sacro vinculo feliciter in Ecclesia Dei coniuncti
fuerunt, impiis sacrificiis impolluti, donec, ut supra docuimus, publica
vis accessit. Quid vero iactas ea (ð Sixte) que postea illis contra voluntatē acciderunt, & per vim extorta sunt; cum constet consilio ante-
cessorum tuorum præditionem & stragem eiusmodi tunc perpetratam

Nuptiæ-
gia infelici-
ter celebra-
ta Lutet.
1572. mense
Augusto.
Psal. 52. fuisse, ut à creatione mundi nulla adeo detestanda hypocrisia, nulla cru-
delitas adeo execranda, nullum adeo execrabile periurium extitisse lega-
tur. O nuptiæ regiae, infastissima! ah coniuia Thyestea, sanguine tot
piorum fædata! Etiam Deus omnipotens te, Sixte, & tuos qui robora-
mini adhuc in illa prauitate, & linguis vestris sicut nouaculis aberranti-
bus, mortuorum & superstitem nomina & iugula petitis, & quantum
in

in vobis est, laeditis; Deus, inquam iustus, destruet vos in eternum; cuellet vos è tabernaculo suo sancto, & eradicabit vos è terra uiuentium, nisi penitentiam agatis, & à malo abstineatis in posterum.

EXCOMMUNICATIO.

Quæ omnia cum manifesta, publica & notoria sint, cumq; nobis plene & legitime constet, præsertim ex processu tempore eiusdem fe. re. Gregorii Papæ prædecessoris nostri confecto, & aliis quam plurimis documentis & grauissimis testimoniosis, Henricum quondam Regem, & Henricum Condensem prædictos notorii & inexcusabilis criminis hæresis, & in hæresim relapsos, atque etiam hæreticorum fautorie reos existere: Nos gladium vindictæ contra eos pro officiis nostris debito exercere coacti, vehementer indolemus, quod illum in hanc prolem detestabilem ac degenerem inclytæ Borboniorum familie, in qua spectatæ religionis candor & virtutis decus, ac in sedem Apostolicam obseruantia omni tempore emicuit, pro his sceleribus conuertere debeamus. Itaq; in præcelso hoc solio, & in plenitudine potestatis, quam ipse Rex Regum & Dominus dominantium, licet nobis indignis tribuit, constituti auctoritate Dei omnipotentis, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius & nostra, ac de venerabilium fratum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinaliū consilio, pronuntiamus & declaramus Henricum quondam Regem, & Henricum Condensem supradictos fuisse, & esse hæreticos, in hæreses relapsos & impenitentes, hæreticorum quoq; duces, fautores & defensores manifestos, publicos & notorios, sicque læsa Maiestatis diuinæ reos, & orthodoxæ fidei Christianæ hostes, adeo ut nulla possint se tergiuersatione aut excusatione defendere.

CENSURA.

Ex falsis præsuppositis, necesse est omnino falsas sequi conclusiones; Principia vero quæ Papa Sixtus supra assumpit tanquam notoria, manifestum mox fiet esse falsissima. Ridiculum certe est, quod ait, ex Gregorii Papæ antecessoris sui processu de illis legitime constare. Quis enim

processus Romae instruendi facultatem dedit Gregorio XIII. aduersus Regis consanguineos, qui ne in Gallia quidem iudicari, nisi à duodecim

Vide Editū Indonici 11. confirmatū 1467. à curia Parisiensi.

Paribus iure possunt? Certum etiam est regnum Gallicum sedi Pontificis Rom. subiectum non esse; ex cuius privilegiis saepe iudicatum est, Regem aut eius subditos non posse excommunicari. Quo dato, & tamen non

cōcesso, querimus, an illustriſſimi Principes Borbonii, quos Papa hic reos facit, legitime in iudicium vocati fuerint, an testes contra eos producti, an testium nomina ipsis patefacta, ut contra eorum personas & dicta excipere possent; quā nemini obscurum est in legitimo processu adeo prae-

Can. si quis cōſe obſeruanda eſſe, ut ſi iudex ea negligat, & ſententiā pronuntiet, non recto, illa non laedatur damnatus, ſed ſolus ille à quo damnatur. Sed dices, re- 24. q. 3.

Can. ad no- cepti iuris eſſe, quod in notoriū opus non ſit iuris ordinem feruari. Agno- ſtram 3. ext. ſcimus hanc regulam ex lacunis Extravagantium deſumptam eſſe; ſed de iure iur. eam etiam cum iure naturali, gentium, & ciuili, & praesertim verbo

Augustin. in Dei ex diametro pugnare norunt Iurisperiti & Theologi orthodoxi: inter glos. ſuper 13. quos Augustinus grauitate admonet, ut cum agitur de persona Princi- pum, ſeuerissime iuris ordo feruetur, cum propter grauitatem criminis, tum propter conditionem accusati, de quo dictum eſt, Omnis anima po- testatis superioribus subdita ſit, &c. Secundo querimus, quo testimo- nio probet Sixtus notoriū eſſe supradictos illaſtriſſ. Principes Borbonios

I. r. C. de ſum. Trinit. & fid. Cath. bæreticos eſſe? Haretici enim illi ſunt, qui omnipotentia Dei derrahunt, negantes eius diuinitatem, aut pugnantia cum verbo Dei peritinaciter tuentur, aut amore lucri & principatus nouas gignunt aut sequuntur o- piniones. Ut ait Augustinus lib. de utilitate credendi cap. 1. Et lib. de ciuitate Dei decimo octavo, cap. 51. Qui (inquit) in Ecclesia Christi mor- bidum aliquod prauumq; sapiunt, ſi correpti ut ſanum rectumq; ſapiant, reſiſtunt contumaciter ſuag, peſtiſera & mortiſera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, bæretici ſunt, & foras exenteſ haben- tur in exerceſtibus inimicis. Quæ certe nec in Sereniſſ. Regem Nauar- ranum, nec in illaſtriſſ. Principem Condeum quadrant. Illorum enim fidei confeſſio publice edita, teſtatur eos credere & eam doctrinam am- plecti, quam orthodoxa Ecclesia ſecuta eſt. & abduc ſequitur. Mores vero eorum ab ambitione alieni ſunt, & ſua forte contenti viuunt; tan- tumque abeſt, ut gloriam venentur, aut principatum ambiant, ut quotidie bonorum, honorum, & principatum priorum pro Euani- gelis

gelii tutela iacturam non mediocrem experiantur. Tertio querimus, an illi qui errant re ipsa, & tamen cupiunt doceri, heretici habendisint, nec ne; an non prius deceat illos erudire quam damnare? Ingens profecto discrimen inter heresim & errorem. Omnis enim heres is error est: at non è diuerso, omnis error iudicari heres is potest, teste Augustino in opere de heresib. Ex quo sit, ut qui detectandum heres eos crimen à se de-
 pellit, errorem non inuitus confiteatur. Errare namq; omnibus homini-
 bus adeo est familiare, & quasi ingenitum, vt ne illi quidem à periculis
 errorum tuis sint, qui spiritualium donorum ornamenti in Ecclesia Dei
 ceteris præcellunt. Evidem quo magis commune est omnibus homini-
 bus errare, eo iustius, errantium dolere vicem atq; omnistudio eniti, ut
 in meliorem viam deducantur. Exigit enim Deus in lege eam ab omni-
 bus charitatem, vt haberi velit rationem vel bruti animalis, si forte
 aberrauerit, aut lapsum fuerit. At, pater sacratissime, prædicti Princi-
 pes, quos tu lapsos esse dicis, petunt erudiri, patentur se errare posse, heret-
 icos esse nolle: parati sunt sententiam mutare, si de praetensa heresi ex
 verbo Dei in legitimo concilio conuincantur: cui etiam se subiiciunt.
 Cur tu idem non facis? cur stertis? cur non doces? cur concilium legiti-
 mum non curas? scimus, quid sis responsurus, damnatam esse superiori-
 bus conciliis eam doctrinam, quam prædicti Principes profitentur: sed
 à quibus? ab illis nempe qui Iudicis & Partis simul officio functi sunt. In
 concilio Basiliensi illa opinio tanquam heretica damnata fuit, que vult
 Rom. Pontificem concilii esse superioriorem; hanc tamen concilium Tri-
 dentinum non solum approbavit, sed tanquam auctoritate inter decreta
 sua compilauit. Quid Constantiense concilium decreuerit de fidè heret-
 icis non seruanda, lippis & tonsoribus notum est; quamque perfide &
 crudeliter Ioannes Husius combustus fuerit ab illis, qui eo conuenerant;
 non ut Ecclesiam reformarent, sed vi fermentum fermento adderent.
 Quot vero & quanta bella ciuilia excitarint ad tyrannidem suam per-
 fas & nefas afferendam, nouit vniuersus orbis Christianus: ita vt in
 proverbiu[m] de illis duobus conciliis abierit, Meretrices conuenisse ut ca-
 stitas normam pudicis matronis suggererent, & labra similes la-
 ctucas habuisse. Verum Sextum contra ista stomachan-
 tem, & ad cetera perlegendafestinantem,
 placide audiamus.

Exod. 23.

4. vol. Conc.
fes. 12.

EXCOMMUNICATIO.

Ac proinde eos damnabiliter incurrisse in sententias, censuras & poenas sacris canonibus & constitutionibus Apostolicis, legibusq; generalibus & particularibus contentas, ac hæreticis relapsis & impenitentibus debitas, & specialiter eosdem fuisse & esse ipso iure priuatos. Henricum quondam Regem videlicet prætenso Navarræ regno, illiusque parte quam adhuc obtinuit; nec non Bearnii: alterum vero Henricum Condensi, & vtrumq; eorumq; posteris omnibus, & quibuscumque aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Ciuitatibus & locis, feudisq; & bonis etiam emphyteuticis, & successionibus; nec indignitatibus, honoribus, muneribus & officiis, etiam regiis, & iurisdictionibus & iuribus, quæ de facto detinent, & ad quæ ius quomodolibet habuerunt seu prætendūt, eosdemq; propterea se illis reddidisse indignos, ac fuisse & esse inhabiles & incapaces ad illa retinenda, & alia huiusmodi in posterum obtinenda. Ac pariter eos ipso iure priuatos & incapaces, ac inhabiles ad succedendum in quibuscumque Ducatibus, Principatibus, Dominiis & regnis, ac specialiter in Regno Franciæ, in quo tot atrocia & nefaria crimina patrarunt, ac regno ipsi annexis dominiis, iurisdictionibus & locis, cæterisque omnibus bonis & rebus prædictis, & ad illa alias quomodocumque acquirendum, prout etiam ex abundantि & in quantum opus est, nos illos illorumque posteros priuamus in perpetuum, videlicet Henricum quondam Regem Regno Navarræ, & illius parte ac Bearnii, & alterum Henricum Condensi, ac vtrumque & eorum posteros aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis, ac ceteris omnibus bonis & rebus; nec non iure succedendi & acquirendi, aliisque prædictis vniuersis ac singulis. Ac etiam in perpetuum inhabilitamus eosdem, eorumque posteros ad illa, & ad successionem in quibusuis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis & Regnis, & signanter in Franciæ Regno, & illi annexis omnibus supradictis, suppletives omnes iuris & facti defectus, si qui forsan interuenient in eisdem.

CEN-

C E N S V R A.

Hec verborum tonitrua à Sexto magna voci & animi contentionē
prolata, euanescentis aeris instar peribunt; si tria tantum in materia
Excommunicationis notauerimus. Primo, Excommunicationem cen-
suram esse spiritualem, remediumq; ad seruandum agrotum, nō ad occi-
dendum; quod adhibetur ad salutem eius cui applicatur. Euangelium e-
nim, ut ait Paulus, est potentia Dei ad salutem omni credenti: quod si
odor mortis, in mortem est, id sit vitio increduli, non Dei: ex cuius pre-
scripto cum censuram diuinam, de qua agimus, fieri necesse sit, conclu-
dendum est pharmacum esse ad sanandum animam peccatoris, vehe-
mens quidē, & quod nō nisi in morbis animae acutissimis, tentatis primū
mitioribus remediis, adhiberi debet; si secus fiat, non remedium, sed ve-
nenum; non ad sanandum, sed occidendum peccatori propinatur. Re-
spondeant nunc Sixtus & Cardinales, ex quo scriptura sacræ loco didi-
cerint excommunicationem esse gladium vindictæ, nisi illud a Petro
Malchum percutiente se accepisse glorientur. Sermo quidem Dei viuit Ad Heb. c. 4
& efficax penetrantior est quo quis gladio ancipiti; sed gladium hunc no-
bus ostendat Antichristus Roman. & fidem ei adhibebimus; conciliet etiā
ista, Arma militia nostra non esse carnalia, & potestatem sibi vindicare
imperiosam, quam mutet, ut Canon loquitur, quadrata rotundis; destruat,
adfecit, animas demittat ad ima Inferni. Evidem ea vindicta mini-
me prohibetur, que emendationē peccatoris promouet, quaq; ad clemen-
tiam proclivis est. Sed ad hanc exercendam inepiti sunt illi qui odium,
quo flagrare solent vindictæ cupidi, amoris pondere non superarunt.
Etenim pater filium castigat ne ulterius offendat sed non deicet ad ima,
non exheredit, non bello persequitur. Legimus Heliam igne diuinitus
imperato vindictam sumpsisse de quibusdam improbis ut ceteris me-
tus incuteretur. Sed non omnes eo spiritu & virtute prædicti sunt, qua
Helias. Nam cum Apostoli eius exemplum commemorarunt, & à
Christo petierunt, ut daretur sibi potestas ignis cœlestis ad consumendos
aduersarios, grauius reprehensi sunt, quod ira & odio commoti vindic-
tam expeterent. Petro quidem in Ananiam & Saphiram, Paulo in
Eliphiam vindictæ diuinae virtus concessa est, postquam Spiritum san-
ctum acceperunt. Sed notandum est, hac ad Excommunicationis usum

non pertinere, ut constat ex eius institutione Matth. 18. Christus enim
hanc pœnam externam excommunicato tantum irrogat, ut ab Ecclesia
quam contempnit, habeatur pro Ethnico & Publicano. Nec obstat quod
in medium adfertur, incestuosum Corinthum, Hymenæum, & Phile-
zum traditos esse Satane & excruciantos, ut discent non blasphemare.
Nam hac traditio Satanae, vltio & vindicta fuit diuina extraordina-
ria, quemadmodum & illa quæ accidit Stiliconis amanuensi, qui ab Am-
broso Episcopo Mediolanensi fuerat excommunicatus. At Theodo-
sius ab eodem excommunicatus & multi alii, Satanæ traditi non fue-
runt, nec constat eos cruciatu fuisse affectos. Aliudigitur est excommu-
nicatio, aliud traditio Satanae. Et quemadmodum nemo peritus dicet
pharmacum quod agro propinatur in morbi curationem, idem esse quod
exulceratio, aut alius corporis affectus qui interdum subsequuntur: sic
aliud est excommunicatio, quæ in animæ salutem instituta est: aliud tra-
ditio Satanae, quæ extraordinarie facta est in punitionem.

Secundo notandum est, Excommunicationem decerni precedenti-
bus sanctis & sepe repetitis admonitionibus, ut est Matth. 18 hincque
sequitur peccatorem per scripturam sacram ante omnia esse docendum
de peccato commisso. Nam, ut ait D. Paulus, tota diuinitus est inspira-
ta & utilis ad docendum, ad redargendum: non ad cogendum vel pu-
niendum. Itaq; aberrantes in fide vel in moribus, non hominum autho-
ritate, non canonibus extraagantibus, non traditionibus (quibus fru-
stra colitur Deus) ad respicientiam sunt provocandi; sed sola Dei do-
ctrina cum in lege, tum in Euangeliō per Filium Dei, per Prophetas &
Apostolos annunciatā. Concipiendæ etiam sunt preces Ecclesiasticae ex
usu & consuetudine Ecclesie primitiæ, quibus peccator Dei gratia com-
mendetur. Officia charitatis in eum sunt exercenda, quibus ad veram
pœnitentiam inuitetur. Dicant vero Sixtus & Cardinales Romanistæ,
num illustrissimos Principes Borbonios, quos crimine hæresis damnant,

^{x. Timot. 3.} ^{Precedere} ex verbo Dei admonitio-
nes, preces, & officia charitatis non pauca.
^{Matth. 15.} ex verbo Dei erudierint, num docuerint hæresim, vele ea Christiana cha-
ritate prosecutisint, quam Christus iubet. Egregii scilicet fuerunt illi
stragis editæ monitores, de quibus supra Papa Sixtus mentionem fecit, qui in conse-
Parisiis 1572. ^{24. August.} Quis adolescentum Principum gladiis cruentissimis sanguinem piorum in
Psal. 79. cæde illa Parisiensi tanquam aquam effuderunt, & posuerunt cadavera
eorum in aceruos lapidum, eademq; volatilibus cali & bestiis terra deuo-
randis

Hypothesis stragis editæ monitores, de quibus supra Papa Sixtus mentionem fecit, qui in conse-
Parisiis 1572. Quis adolescentum Principum gladiis cruentissimis sanguinem piorum in
Psal. 79. cæde illa Parisiensi tanquam aquam effuderunt, & posuerunt cadavera
eorum in aceruos lapidum, eademq; volatilibus cali & bestiis terra deuo-
randis

randa expulerunt. Quæ nam vero fuerunt preces tunc adhibitæ? blasphemia & nempe in Deum, iniuria in viros, calumnia in mortuos; officia charitatis fuerunt proditio, armorum inuasio, infractio ostiorum & fenestrarum; & ex illis occisorum virorum proiectio in plateas & flumina: seditiones per urbem, assassinationes innumeræ, homicidia in ipsis etiam Principum cubiculis commissa, mutilationes, stupra in virgines & matronas, cædes, latrocinia, violenta abductio ad sacrificia Papistica; deinde vis fuit publica, cuius modos & casus quibus commissa est, non animo asséqui, nescimus, sicut etiam exprimere quisquam posse. Hæ sunt mentiones Christianæ, quibus solet Antichristus Rom. aberrantes in viam reuocare.

Tertio notandum est, Excommunicationem fieri non debere nisi legitimo Ecclesiæ iudicio, quæ ut alma est filiorum Dei, quos gignit & educat, ita cum illis interdum desipientibus materne & misericorditer agit. Et quemadmodum medici nunquam cauterium adhibent, nisi re bene & mature deliberata, & si sit adhibendum, vim eius quantum possunt, moderantur: Ita Ecclesia Dei antequam remedio Excommunicationis utatur, consilio, prudentia, & suffragiis cœtus Ecclesiastici petitis & expensis, non paucorum arbitrio, libidine aut temeritate rem adeo grauem aggreditur. Quicquid vero in peccatorem decernit, ad ipsius salutem, non perniciem spectat. At tu Romana meretrix, et si matrem plenis buccis esse iactitas, non dissimilis tamen es ei, quæ coram Salomone olim simulans se filium repetere, in duas partes dilaniari. Reg. 2. assensa est; itate Principes Borbonios tibi eruptos esse præte ferens, eosdem in duas partes diuidi assentiris. Quid assentiris? immo tu prima fuisse, quæ confederatis Gallis hoc consilium dedisti, vt armis ad intercessionem usque eos delerent. Turegnis, Principatibus, feudis, dominis, successionibus eos abdicas: & quod omnem exuperat tyranidem, hac tua Excommunicatione ipsorum etiam posteros pari pena afficias. At Deus omnipotens per Prophetam suum ita loquitur: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem Patris; iustitia iusti super eum erit. & impieas impiæ super eum erit. Certe peccare non potuerunt illi posteri Sereniss. Regis Navarra, & illustriss. Principis Condensis, qui in rerum natura adhuc non extant, neque propter maiorum suorum heresim si quia in ipsis est, gradu nobilitatis, bonis aut successioni-

Excommuni-
catione legi-
time decer-
nitur, non e-

ligarchia,

paucorum

ambitione,

& imperio,

sed Ecclesia

iudicio, mi-

sericordia,

& consilio.

1. Reg. 2.

Ezech. 18.

Ex his con-

stat falsum

esse quod ca-

nonista di-

cunt, Filiū

hereticis nō

succedere.

bus priuari, ullo iure possunt. Si vero posteri superstites ea hæresi non te-
nentur, que prædictis Principibus obiicitur, æquum non est eos pari sup-
plicio teneri, qui paricrimine non tenentur. Sed iis quæ diximus duo
oppontuntur argumenta. Primum desumitur ex l. Quisquis, C. ad le-
gen: Iuliam Maiestatis, in qua habetur filios pro parentis crimen obstrin-
gt. Respondemus illam legem locum obtinere, quando filii cum suis parenti-
bus contra principem aut Rempublicam conspirarunt, tuncq; iure optic
mo eadem pœna plecti, qua parentes. Interdum vero in crimen læsa Mai-
estatis multa sunt, & decernuntur supplicia à Regibus & principibus,
status conseruandi causa, quæ in Deum, vel eius Ecclesiam cadere non
possunt. Lata vero differentia est inter crimen læsa Maiestatis, & hæ-
resim, quæ nihil aliud est quam morbus animæ, qui verbo Dei præcipue
sanatur: latum etiam discrimen inter pœnam corporis, & bonorum,
quæ irrogatur ex præscripto legum ciuilium reo læsa Maiestatis huma-
næ: Et Excommunicationem, qua hæreticus ab Ecclesia afficitur, que
pœna est spiritualis, ut diserte docet Augustinus epist. 75. ad Auxilium
episcopum, in qua docet filium pro peccatis patris, nec uxorem pro deli-
ctis mariti, aut seruum pro domini sceleribus esse anathematizan-
dum. Hanc D. Augustini piam & orthodoxam sententiam retulit Gra-
tianus, c. si habes: 24. q. 3. Itaq; cum proscriptio bonorum & dignita-
tum, secundum Papæ decretum, effectus sit excommunicationis sequi-
tus, filium hæretici bonis & successione abdicari non posse, cum ipsi cano-
nes prohibeant, eundem pro peccatis patris excommunicari. Alterum
argumentum, quod obiicitur, petuum est ex Innocentii 3. decreto lib. 5.
Decret. tit. 7. c. Vergentis, in quo expresse dicitur in terris Papæ subiectis
bona hæreticorum publicanda esse, & fisco adiudicanda, etiam si filii eorū
sint Catholici. Quid iniquius decerni potuit, vel iniustius? Id
agnouerunt etiam Canonisti, qui decretum hoc locum non posse obtinere
scripsierunt in regnis, principatibus & dominiis, quæ iure ciuali, aut con-
stitutionibus iustis reguntur & administrantur. In cuius rei fidem cita-
mus Petrum de Vineis, cap. 25. Gazarum lib. 1. Epist. glossatores iuris
Canonici celebres. Deniq; tribus exceptionibus connellimus Innocen-
tii decretum. Prima est, quod ex diametro contrarium sit disciplina,
quam Apostoli & primi iua Ecclesia, ex præscripto verbi Dei exercue-
runt. Altera desumitur ex l. 4. Cod. de apostat. in qua edicta Theo-
dosia

dofii 2. & Valentianiz. leguntur, quibus successio Apostatarum proximis non denegatur: constat etiam Gratianum, Valentianum 2. Theodosium Magnum, & Iustinianum filios haereticorum successione paterna non priuasse. Tertia petenda est ex lege Salica in regno Gallia immutabili, qua constitutum est Diadematis Gallici successionem ad masculum pertinere, qui linea masculina praedecessori proximior fuerit. Hanc fundamentalē legem, omnes orbis Papae bullis suis in Gallia tollere nō posse sunt, nec praeiudicium adferre posteris propter crimen in praedecessores pretensum. Verum quō tyranni Antichristi iniquitas melius innotescat, legantur Biblia sacra, & historia Ecclesiæ primitivæ, ne apicem quidem in illis inueniemus de imminutione capitii aut publicatione honorum ad eos pertinentium, qui censuram Excommunicationis legitime subierunt.

l. 3. ff. de Se-
nat.
Excommu-
nicati re-
gnis, aut eo-
rum succe-
sione abdi-
tinunquam
sunt ab Ec-
clesia Dei.

Nam ut Iurisconsul. ait, Quis senatus motus est, non propterea minutus capite censetur: ita Excommunicatus, non afficitur pena, quæ immutet qualitatem personæ aut priuationem vel publicationem honorum inferat, sed mouetur tantum ab ordine membrorum Ecclesie, & priuatur usu sacramentorum donec resipiscat. Hæc confirmant exempla multorum Imp. qui, licet propter haeresin proscripti sint, non tamen iuria imperii, regni, dominii aut successionum eis erupta sunt, denegata aut abdicata ab Ecclesia Dei: ut historia docet in Constantino III. & V. in Constantio Arriano haeresi infecto, in Anastasio 1. Eutychianæ heresis professore, quem tamen concilio Chalcedonensi damnata fuerat. Plura addere possemus, sed quia ad reliqua refutanda festinamus, ab illis abstinebimus; legat tamen, qui voluerit, apud Nicephorum lib. 13. cap. 34.

EXCOMMUNICATIO.

Quinetiam proceres, feudatarios, vassallos, subditos & populos regnum, ducatum, principatum & aliorum dominiorum, etiam alium superiorem non recognoscentes, ac cæteros omnes, qui illis quomodocunq; iurauerunt, à iuramento huiusmodi ac omni prorsus dominii, fidelitatis & obsequii debito perpetuo absolutos esse, prout nos illos omnes tam vniuersitate quam singulatim autoritate præsentium absoluimus & liberamus, præcipimusq; & interdicimus eis vniuersis & singulis, ne illis eorumque monitis, legibus & mandatis audeant obedire: Qui se-

30 CENSURA ORTHODOXA
cus fecerint, eos excommunicationis sententia innodamus eo ipso.

CENSURA.

Supra docuimus dominia, Regna & successiones interrumpi non posse vel eripi Regibus, Principibus vel dominis, etiam si ab Ecclesia Dei legitime, propter haeresin excommunicati essent. Itaque necessario sequitur subditos solui non posse obedientia aut iuramento quo dominis obstricti sunt. Nulla quidem eis sit iniuria, dum aduersus Deum pricipientibus parere subditi detrectant: Regum enim Edictis impietatem & sceleram contra primam & secundam tabulam inbentibus, nequaquam obediendum esse docet axiomat illud Apostolicum; Obtemperandum potius Deo est, quam hominibus. Idcirco Daniel edicto Regis Nabucadnezar impio non paruit. Reprehendit etiam Prophetas Israelitas, quod Ieroboam mandatis sacrificia illicita inbentibus, morem gesissent. Sed aliud est Regum impiis legibus non obedire, & facta ipsorum impia non sequi; aliud est Reges ex regnis aut successionibus regnorum perturbare propter haeresim, & iuramentum obligationis soluere hoc nomine, quod censuram Ecclesie Dei incurserint. Nam cum accidit ut ab impiis & sacrilego Rege vexemur, frenare impatentiam nostram debemus, & meminisse delicta nostra impiis Regibus tanquam flagellis a Domino castigari, subditorum non esse per rebellionem haeresim aut impietatem Regum emendare; quorum corda Deus flebit quo vult, & regna, eorumque mutationes dirigit. Itaque humilitate, patientia, resipiscencia & precibus ad hanc rem opus est. Quod etiam a D. Petro Apostolo, cuius falso successorem se esse Papa gloriatur, sancte obseruatum videmus: licet enim Ecclesia Neronis tyrannide premeretur; admonet tamen omnes, ut obediant Regibus siue piis siue impiis, siue bonis siue malis. Inbet etiam Dominus per Ieremiam Prophetam, ut Nabucodonozori populus Israeliticus obtemperet, & pro eius prosperitate preces concipiatur. D. etiam Ambrosius militum Christianorum factum non improbat, quod Iuliano Apostata, & excommunicato militarent. Tantum admonet, ne quid gerant contra honorem Dei. Quae cum ita sint, concludendum est ea omnia decreta, quae a Gregorio VII. Honorio III. Lucio III. Innocentio III. aliusq. Antichristis Roman. de pennis excommunicatorum sanctis sunt

A dor. 5.

Dan. 6.

Osea 5.

Aliud est re-
tari morem
non gerere,
aliud pro-
pter ipsorum
impietatem
rebellionem
committere.

t. Pet. 2.

Ierem. c. 27.

* Iulianus,
11. q. 3.

sunt abusua, ut loquuntur, tyrannica & iniusta esse contra Scripturarum autoritatem & Ecclesiae Dei consuetudinem.

EXCOMMUNICATIO.

Ceterum eotundem charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum Regem Christianissimum, per viscera misericordia Iesu Christi hortamus, rogamus ac etiam monemus, ut memor præstantissimæ fidei, & religionis Regum maiorum suorum, quam quasi hæreditatem longe ipso regno potiorem ab eis accepit, memor etiam illius iuramenti, quod in eius coronatione de exterminandis hæreticis solemniter præstít, authoritate, potestate, virtute atque animi magnitudine vere regia ad executionē tam iustæ huius sententiæ nostræ incumbat, ut scilicet in hoc quoque gratum se omnipotenti Deo exhibeat, & matti suæ Ecclesiæ obsequium debitum persoluat.

CENSURA.

Si iurauit Henricus III. Rex Gallie hæreticos exterminare, & illud iuramentum, ut Sextus vult, præstare tenetur; necesse est omnino, ut Papam & suos Cardinales exterminet, qui hæretici non tantum sunt, sed Antichristi; de quibus prædixit Ioan. Quis est mendax, nisi is, qui negat Iesum esse Christum: hic est Antichristus negans Patrem & Filium. Negant autem Filium illi, qui in eo uno per unicam eius oblationem non confidunt: qui à Patre Deo iustificatos se esse non credunt per fidem solam in Iesum Christum; sed ex adulterinis Missæ sacrificiis quotidie iteratis, ex opere operato, ex congruo & cōdigno, ut barbare loquuntur, salutem & gloriam aeternam venantur. Itaque rogamus humiliter regiam Majestatem, ut potius memor sit illius iuramenti, quo ore & scripto pacem Ecclesiis reformatis, subditis suis liberum exercitium Religionis, anima corporis, bonorum securitatem & clientelam publice pollicitus est: neque Papæ & suorum verbis facum sibi fieri patiatur; sed Deum ita loquentem audiat: Non assumes nomen Domini tui frustra, quia Deus pro innocentibus non habebit eum, qui assumserit nomen eius. Vladislaus Rex Pannonia, cum Eugenij & Pontificis impulsu pactas iuramento inducias violasset, misere periret; & cum ea

*1. Ioan. 2.
Heb. 10.*

Exod. 20.

32 CENSURA ORTHODOXA

perierunt triginta Christianorum millia : quod Regem Henricum obtestamur, ut ante oculos sibi semper ponat. Iurisurandi enim contempta Religione, ultiōes diuinæ diræctæ pronocantur. Rogamus etiam obnoxè Regem, ut Concilium nationale & liberum indicat in Gallia, cuius instantur Papa Sixtus & Cardinales Romanistæ, ut doctrinæ, quam profidentur, rationem ibi reddant. Vicissim etiam ad illud Concilium libere & secure admittantur Ecclesiæ reformatarum ministri & Theologi. In eo concilio præst̄ verbum Domini, quod sceptrum oris eius à Propheta vocatur. Regi & uniuersæ Gallie notum fiet Papam & suos Cardinales hæreticos esse, pestes Ecclesiæ Christianæ & infensiſsimos Dei hostes, impios & piorum persecutores ; quos tandem Dominus conficeret spiritu oris sui, & aduentu illustri suo abolebit. Probabitur enim in ea synodo ex S. scriptura testimonius fidei Christianæ, & sacramentorum doctrinam, in Ecclesia Romana (quam falso Catholicam vocant) depravatissimam ; Ecclesiæ vero Gallicarum, quæ ab illa defecerunt, confessionem Orthodoxam, & libris Canonici congruentem esse. Ne vero Maiestas regia hæreat in Conciliij indictione, reuocet in memoriam majorum suorum exempla, qui in resimili Ecclesia Gallicana non defuerunt. Et licet Papa concilium non sit probaturus, quia res illius agitur, attamen pax in Religione constituenda, & Republica regni instauranda est. Deniq; obtestamur Regem Henricum Galliæ, ut idolum Romanum fugiat, salutis sua consulat, pietatem colat, & subditos suos Christianum pie amplectentes, clientela sua foueat & tueatur. Durum enim semper fuit contra stimulos calcitrare.

EXCOMMUNICATIO.

Præterea omnib. venerabilib. fratrib. nostris, Primatibus, Archiepiscopis & episcopis per regnum Franciæ, Nauarræ, Bearni, & alia prænominata loca constitutis, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut quam primum harum literarum exempla ad eorum manus peruenient, illa publicari faciant, & quantum in ipsis erit, ad effectum perduci current. Volumus autem quod eadem præsentes nostræ literæ ad valvas Basilicæ principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de vrbe, ut moris est, affigantur & publicentur, quodque earum exemplis etiam impressis, ac Notarii publici manu & prælati Ecclesiastici,

eius

elusve Curiæ sigillo ob signatis eadem protulit fides in iudicio & extra illud
vbiq; gentium habetur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibi-
tæ vel ostense. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā nostræ pro-
nuntiationis, declarationis, priuationis, inhabilitationis, supplicationis, ab-
solutionis, liberationis, præcepti, interdicti, innodationis, hortationis, roga-
tionis, monitionis, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario cō-
tra ire. Si quis aut̄ hoc attentare præsumperit, in agnationem omnipoten-
tis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorū eius le nouerit incursum.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno incarnationis Dominicæ mille-
simi, quingentesimo octogesimo quinto, quinto idus Septemb. Pontifica-
tus nostri anno primo.

A. de Alexiis.

C E N S V R A.

*Non possumus satis demirari Sixti & Cardinalium ambitionem & impuden-
tiam, qui Regem Gallie adhortati sunt supra, ut sententiam quam ipsi iniuste tule-
runt aduersus consanguineos, executioni mandet quasi sit illorum minister & man-
cipium; hic vero præcipiunt Primitibus Gallie tanquam subditis suis, ut idem exe-
quantur; sicq; alteram monarchiam regali potentiorem & immensam potestatem
in Ecclesiasticos Galliæ sibi arrogat contra Regis autoritatem, constitutiones & pri-
uilegia Regni: is enim neg. in politicis, neg. Ecclesiasticis superiorē agnoscit, & diser-
ti constitutionibus cautum est, ne Pontifex Romanus aut alius qui uis excommuni-
cat ciuitates & corpora subiecta Francorum Regno. Ediderat Bonifacius 8. decre-
tum, quo Imperatores omnes & Reges sibi & suis subiiciebat: contra hoc decretum
Reges, & Ecclesia Gallia semper reclamarunt. Quamobrem Clemens 5. P.P. de-
creto Bonifacij circa annum 1306. abrogauit decreto, quod legitur lib. 5 cap. 7. Ex-
trana. commu. cap. 2. Meruit, inquit, charissimi filii nostri Philippi Regis Fran-
cum illustris, sincera affectionis ad nos et Ecclesiam Rom. integritas, & primoge-
nitorum suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper regnicolarum puri-
tas, ac deuotionis sinceras, ut iam regem quam regnum sauro beneuolo profequa-
mur. Hinc est quod nos Regi per definitionem & declarationem bona memoria Bo-
nifacii Papæ 8. predecessoris nostri, quæ incipit, Vnam sanctam, nullum volumus vel
intendimus preiudicium generari: nec quod per illam Rex, regnum, & regnicola
prælibati, amplius Ecclesiæ sibi subiecti Romane, quæ ante a existebant. Sed intelli-
gantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem prefatam, tam quantum ad
Ecclesiam, quam etiā ad Regem, regnum & regnicolas superius nominatos. Ne quis*

vero dubitet de libertate Ecclesiæ Gallicanæ qua Papæ Rom. nullo modo obnoxia fuit, multis ante Bonifaciū seculis, notanda est historia Gregorii Papæ 4. Is circiter annū 829. in Galliam venerat; Regem Ludovicum Pium & Episcopos quosdam, ut fama erat, excommunicatus; Nobilitas cum principiis Episcopis re deliberata, Papam his verbis, teste Aimoino lib. 5. cap. 14. admonuit; Si excommunicatus veniret, excommunicatus abiret, se nullo modo velle eis succumbere, cum aliter se habeat antiquorū autoritas canonum. Notant illius seculi historiæ, prædictum Gregorii investigatoribus quibusdā Episcopis perfidis, & nonnullis ex præcipua nobilitate administris, Ludovicum in monasteriū detrudendū curauisse, & re ipsa monachum factum fuisse. Quod cum Nobilitas mature perpendisset, & indignū reputasset; regem Monachismo liberatum, in pristinam restituit dignitatem. Hæ sunt ponitficiæ fraudes, ut quos aperto Marte, & pelle leonis, (ut dicitur) subigere non possunt, eos vulpina fraude adoriantur. Sed nec vis, nec dolus pontificis Rom. hucusq; præualuit, contra iura & immunitates Regni & Ecclesiæ Galliæ: de quibus consulendus est Ioannes Ignatius De excellentia regni Franciæ. Illud n. constitutionibus nititur validissimis. Ad quarū executionem notāda est historia qua sequitur. Anno 1291. Papa Bonifacius 8. Philippū 4. Valesium Galliæ Regem temere excommunicavit, verū ille habito Lutetia Antistitū Galliæ concilio, fulminea illa tela nō solum contempserit, sed armis etiam Papā in ordinē redigit: id approbantibus Galliæ Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiasticis. Deinde Martinus V. Papa Galliæ Ecclesiis tributa noua imperavit, & Lugdunensem ciuitatē imperata detrectantem, proscripsit. Vigore interdicti clausa fuerunt tēpla, Religionis, & sacrorū-ūsus prohibitus, mortuis sepultura cæmiteriorū denegata. Qua re iuste cōmotus Carolus 6. Rex Galliæ, conciliū iussit, cuius decreto pronunciatur Martini interdictū abusu, nullumq; esse: quod concilii decretū à curia Parisensi confirmatū inter eius archiuā relatiū est. Anno etiā 1488. Gandauenses à Pontifice Rom. proscripti fuerunt, quod Maximilianū Comitem suū male exceperint. Sed procurator generalis Curia Parisensis aduersus illam sententiam provocauit tanquā iniquā, quod Gandauenses Francorū regno subditi essent. Deniq; Anno 1498. cum Iulius 2. Papa Ludovicum 12. à communione remouisset, conuenerunt apud Turonas Galliæ Antistites, illamq; sententiam Excommunicatio- nis impiam & tyrannicam esse pronuntiarunt, cui nec Rex nec Ecclesia Gallica morrem gerere teneretur. De Iulii 2. Excommunicatione non modo in Ludovicum 12. sed etiam in Ioannem Nauarræ Regem, huius pro Raum, sic scribit Guicciardinus lib. hist. Ital. XI. Hispanorum Rex, inquit, cum se Nauarræ regnum legitime possidere alio nomine affirmare non posset, occupationem iure imperii pontificii factam esse sacro- sanctæ

sanctæ sedis auctoritate differebat. Pontifex enim rebus in Italia feliciter gestis mi-
 nime contentus, paulo ante edictum in Gallia regem promulgauerat, quo illum non
 amplius Christianissimum, sed illustrissimum appellans, eum, & quotquot ei stude-
 rent, omnibus hereticorum, & schismaticorum pœnis subiiciebat; cuius fortunas,
 regna, resq. illorum omnes iure occupandi facta potestate, damnatos declarabat. Hæc
 pauca ex multis historiis subduximus, ex quibus Rex & Primate Gallie attendere
 hodie possint, Papam Rom. non esse numen quoddam cælestis, cuius sententia & ver-
 bo parere omnes oporteat. Quibus autem artibus auctoritatem tantam sibi paravit;
 & quibus rationibus Ecclesia Gallica ei se subiicere detrectarit, videre est in lib. Mo-
 linæ Iurisconf. contra Parvas datas. Admonemus autem uniuersam Galliam,
 ne tyrannidis Papæ iugo semel excusso, rursus succumbat, priuilegium prouocatio-
 nis contra Excommunicationem Pape illibatum conseruet & tueatur, praesertim con-
 trahunc Anathematismū in Sereniss. Regem Navarræ & Illustr. Principem Con-
 daum iniuste latum: quem constat naturali, gentium, ciuili & diuino iuri repugna-
 re, nego executioni mādari posse absq. manifesto scelere & perurio, totiusq. regni Gal-
 lici perturbatione & casu. Quod si Papa & coinerati illius executionē urgeant, & ut
 cooperunt, armis regnū Gallie perturbare pergant, iuxta leges ciuiles, licitū est vi ar-
 mata eis obsistere, quemadmodū in vi & violentia publica resistere permittitur. Etsi
 vero Papa sibi hac in parte obediri ab omniū ordinū hominib. petat et exigat; dicimus
 eius sententiā ipso facto nullā esse, quod iudex sui incompetens, cui nemo de iure obe-
 dire teneatur. Postremo Sixtus iubet, ut valuis templorū Romæ bella hæc excommu-
 nicatio assigatur. Mirum hercle est, quod Angelis nō præceperit ut eā pro cali forib.
 reponerent, quos in suis Canonib. auctoritatib. obnoxios facit. Sed veritus est An-
 gelorū Dei inobedientiā, vel ipsius etiam Petri indignationē. Nos vero qui hanc cen-
 surā in lucem emisimus, nemini præcipimus aut imperare cogitamus; sed demissè
 omnes obtestamur, praesertim Cæsarem, Reges, Principes, Respubl. supremas Curias
 Gallie, Academias & scholas omniū facultatū, Ecclesiæ omnes, singulos & uni-
 uersos, quib. cordi est gloria Dei & regnū Iesu Christi, ut diligenter expendant ratio-
 nes & testimonia huius Censuræ; notent Papā tanquam ex tripo locu: nō esse sola
 nixū plenitudine potestatis absq. scriptura & veritatis testimonius & tyrannū il-
 lud tantū usurpare. Sic volo, sic iubeo, sit pro oratione voluntas. Meminerint
 vero illius aurei dicti, Quod à scripturis nō habet fidē, eadem facilitate refel-
 litur, quā negatur. Deniq. existimamus nos in mediū adduxisse rationes firmas &
 auctoritates omni exceptionem aiores: quarū etiam Catalogū nomenclatura opposui-
 mus eorum, qui huic Bullæ Excommunicationis subscriperunt. Datū in Academiano-
 stra, Anno 1586. Cal. Febr.

Nomenclatura auctorum Excomiurificationis.

- † Ego Sixtus Catholica Ecclesia episc. † Ego Ant. tit. SS. Io. & Pauli Card. Carafa.
 † Ego Ioh. Antonius episcopus Tu- sculanus Card. Sancti Georgii.
 † M. Sitticus Card. ab Alzamensis.
 † Ego Innocentius Anulus Card. de Arag.
 † Ego P. Card. Sancta Crucis.
 † Ego Gulielmus Sirletus Card.
 † F. Michael Bonellus Card. Alex.
 † Ego Ludovicus Card. Madrutius.
 † Ego Nicolaus Card. Senonenfis.
 † Iul. Ant. Sanctorius Card. S. Scue- rine.
 † P. Card. Cæsus.
 † Ego Hier. Card. Rust.
 † Ioh. Hier. Card. Albanus.
 † P. Card. Deza.
 † Ego Ant. tit. SS. Io. & Pauli Card. Carafa.
 † Io. Ant. Card. SS. Quatuor.
 † Ego Io. Bapt. Card. S. Marcelli.
 † Ego Aug. Card. de Verona.
 † Ego Vim. Card. Montisregalis.
 † M. Cardinalis S. Stephani.
 † Scipio Card. Lancellotius.
 † Ferd. Card. de Medicis.
 † Phil. Vast. Card. Cam.
 † Ego Vincentius Card. Gonzaga.
 † Ego Franciscus Card. S. Fortia. S. Nicolai.
 † Alexander Card. de Montealto.
 Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo-
 quinto, Indictione decimatertia, Die vero vigesimaprima mensis Se-
 ptembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Sixti diuina
 prouidentia Papæ Quinti, anno primo, retroscriptæ literæ affixæ & pu-
 blicate fuerunt in Basilica Principis Apostolorum de vrbe, & in acie
 Campi Floræ per nos Hieronymum Lucium & Nicolaum Talliertum
 sanct. D. N. Papæ Curs.
 Io. Andreas Paniza Mag. Curs.

CATALOGVS AVCTORVM CENSVRÆ.

Christus Filius Dei	Augustinus	Baldus
Episcopus Episcorum, ho- minum & Angelorum caput.	Ambroſius	Molinus
Moyses Legislator.	Hieronim⁹	{ Lurisconsul.
David Rex & Propheta.	Chrysost.	Paponius
Eſaias	Gregorius	Gazaros
Ezechiel	Bernardus	Petrus de
Ieremias	Nicophilus bish. Eccles.	Canonift. & D.
Daniel	Mart. Chron.	Vineis.
Matthæus	Platina	Philippus
Ioannes	Maffeius	Ludouic⁹
Paulus	Reroaldus	11 Gallia reges.
Petrus	Guicciardinus	Ludouic⁹
Ioannes	Ioan. Ignatius	12 Concil. Bas-
	Viphianus.	lienſe
	S. fult.	Concil. Turo-
		renſe.

Auctores Legum ciuilium & Canonum breuitatis studentes, non reſemus.

Datum ut supra Anno 1586. Cal. Feb. stylo antiquo, non Gregoriano.

F I N I S.